MASTIX FALLITORUM, SIVE CAESARUM, REGUM, PRINCIPUM, AC MAGISTRATUUM...

Daniel Sauter, Giovanni Battista Coccini


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
10 S
21

Mastix
FALLITORUM,
SIVE
CÆSARUM, REGUM, PRINCIPUM,
AC MAGISTRATUUM VARIORUM,

Huius superiorisque ævi

Senatusconsulta & Edicta

DE POENIS


MERCATORUM NEQUITER

FORO CEDENTIUM:

Summâ diligentiâ collecta, utilibusq; exemplis ac Dissertationibus variè illustrata,

A

DANIELE SAUTERIO.







ex legato   Jo. Cocini

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina Iacobi Marci,

cIↃ IↃ C XIX.

Illustrissimo & Excellentissimo Principi ac Domino,



MAVRITIO,

D. G. Principi Aurasionis; Comiti Nassaviæ, Catzellenbogij, Viandæ, Dietzæ, Mursiæ, Buræ, Lerdami; Marchioni Veræ & Flissingæ; Domino ac Baroni Bredahæ, urbis Gravij & Terræ Cuyckensis, Dietstæ, Grimbergæ, Arlœi, Noseroei, &c. Vicecomiti hœreditario Antverpiæ & Visantij: Equiti Periscelidis: Gubernatori & exercitus Duci Generali Geldriæ, Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæ occidentalis, Zutphaniæ, Vltrajecti & Transisulaniæ, &c. Admiralio generali, &c.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS,



CVm plerunque deteſtatio conſenſus humani generis, tendentis ad vitia, magnitudinem ingenij ad loquendum, ad ſcribendum, & ad medendum excitare in bono Viro ſoleat; non poſſum non hoc orbe & ævo (in quo multorum ſtudia ad maximam fraudum licentiam incubuerunt) dignum aliquid auribus, dignum chartis elaborare. Notavit quidem Cicero Antonij rapacitatem, Verris culpavit furtum: nec non Ariſtophanes & Euripides Spartanorum perfidiam. At nos hodie pſeudo-Mercatorum, ſeu fraudulentorum hominum flagitia, eorumque ſupplicia cogimur palam deteſtari; ut eorum metu, ad opes pecuniaſque per cuniculos ac dolos ruentes prenſemus ac retrahamus. Dici autem vix poteſt, quàm

quàm late horum Hominum, quibus integritas odiosa, ignota innocentia, Fidesque rara, serpant vitia, & in proximum quemque transiliant, non sine magna Reipublicæ conturbatione, civiumque honestorum damno; quomodo enim Respub. (ubi ad mutua commoda, sive usum publicum bene agier oportet) fæliciter posset constare, quando Fides negligitur, Libidinis vero lucrum, damnaque pariter invisa se suis exorbitent terminis, ut per turpitudinem splendere incipiant? Ius & Æquitas vincula sunt Civitatum, veluti ψυχὴ πολιτείας FIDES: quæ omnia quamdiu Falliti, qui *foro* (alios libenter excipio) *nequiter* cedunt, flocci faciunt, non video, quomodo Respub. commerciorumque usus contineri possit. Recte olim Comicus:

Pulchrè illud Oppidum munitum arbitror, si incolæ benè sint morati:
Perfidia, & Peculatus ex Urbe, & Avaritia si exulant:
Quarta Invidia, Quinta Ambitio, Sexta Obtrectatio;

Septimum Periurium, Octava Indiligentia,
Nona Iniuria, Decimum (quod pessimũ aggressu) Scelus.
Hæc nisi undè aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est.

Viderunt hoc *Cæsares, Reges, Principes,* aliique *Senatores,* qui de salute Imperij, de stabilitate Regni, de utilitate subditorum, de libertate civium solliciti, varias sanciverunt Leges, quarum metu humana coerceretur audacia, tutaque foret inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrænaretur nocendi facultas.

Quæ, ne oblivionis iniuria nobis intermoriantur, aut invidioso situ squalloreque obruantur, utile fore judicavimus, si eas in unum redactas codicem publicis typis ad perrennem lucis usuram ederemus. Neque propterea *Cæsares, Reges, Principes,* aliosque *Senatores* ad crudeles pœnas, aut acerba judicia vocamus aut invitamus, quibus civitas vastatur magis, quàm corrigitur: Verum severitate legum, *Imperium,*

perium, Regnum, Rempublicam, *Civitatem* ſtabiliri ac confirmari, oſtendere eſt animus. Quotuſquiſque reperitur, qui impunitate propoſita, abſtinere poſſit ab iniuria? Citius ingenita hominibus pravitas comprimitur, cum è Legibus acies *Imperatoriæ*, *Regiæ* ac *Senatoriæ* auctoritatis emicet, tum quoque ſi pœnæ quorundam proponantur, ut metus ad omnes perveniat. Non poteſt igitur culpari, in hoc temporum turbulentorum motu, animorumque perfidorum ardore (quo minus multa præter leges, bonamq; Fidem incidant) hoc noſtrum inſtitutum: ſiquidem, quo pluribus præſidijs nititur improbitas ad excutiendum probitatis, ſinceritatis, pudoriſque imperium, hoc diligentius legum Sententię ſunt divulgandæ.

Illuſtriſſime Princeps, animo benevolo hoc munuſculum accipe, quod tuarum virtutum, Gloriæ & fælicitatis amantiſſimus ſubditus humili mente,

Excel-

Excellentiæ tuæ offert. *Nunc ego prout possum, & quomodo possum, te munere dono, ut non indonatus, quantum ad me attinet, & quantum in me est, prætereas.* Deus opt. Max. *Ælian. l. 1. c. 32.*

Qui maria, terras, bella, pacem temperat,
Flectitque corda Principum quoquo placet,

gubernet augustam tuam Celsitudinem ad nominis sui decus, ad doctrinæ orthodoxæ propagationem, subditorumque omnium incolumitatem.

Harlemi, XII Eidus Martij CIↃ IↃC XIX.

Illust. Celsit. tuæ

devotus cliens

DANIEL SAUTERIUS.

De

De voce seu Nomine Fallitorum;

Simulque de Operis instituto.

Falliti qui nā nuncupati.

Nic. Boerius l. c. decis. 215

JOhannes Baptista I. C. FALLITOS appellat eos Debitores, qui suis Creditoribus non solvunt, ac *ex communiter accidentibus fallunt.*

Quique ut fallant,

Sen. in Hippol.

--- abditos sensus gerunt,
Animisque pulchram turbidis faciem induunt

Et

Persius Satyr. 5.

--- fronte politi
Astutam vapido servant sub pectore vulpem.

Iidem dici Bancca-falliti.

Budæus l. si bom. §. quot. ff. de pos.

In *Tusciâ*, & totâ Italia dicuntur BANCCA-FALLITI quia banccis ac sedibus suis cedentes, alio migrant habitatum: & rerum suarum malè conscij;

Plaut. in Persa.

--- citius à foro
Abeunt, quàm in cursu rotula circumvortitur,

Debitaque ne solvant, profugiunt, turbis hominum se eripiunt, & loca

Sen. Hip.

Longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia
Emetiuntur; nullis his obstet locus.

Et Banccorotti.

Nostra hodierna & usitata appellatione dicuntur BANCCOROTTI.

Nominum illorum origo & etymon.

Ita, ut & BANCA-FALLITI (quod nomen minùs usitatum) à Mercatorum & nummula-

riorum seu fœneratorum mensis appellati, quas Itali hodie *bancas* vocant. Mensas autem fregisse dicunt, *banca rotta:* de ijs, qui conturbarunt. Hoc ab Italia Galli acceperunt, ut & nos, *banque routte*, *banckerut*: quæ detorta ex Italico *banca rotta*, quasi *banca rupta*. Phrasisque hæc non hodie aut heri nata. Nam Augusti Cęsaris ęvo id Horatius poeta *rem frangere* dixit, lib. II. Sat. III. de Damasippo; qui cùm conturbasset, factus erat proxeneta, sive pararius; qui Belgis, *een Makelaer.*

Erat Romæ vicus IANVS, ab eius divi, uti putant, in eo statua. In quo fœneratores, argentarij & id genus homines habitabant.

*--- Postquam omnis res mea * Ianum*
Ad medium fracta est, aliena negotia curo
Excussis proprijs.

De Damasippo redivivo & nostri sęculi ex-mercatore-proxenata vulgo apud nos dicitur, *Een bedorven Coopman is een goet Makelaer.*

Et sane, conturbatores quòd solvendo non sunt, rectiùs, quamquam barbarè, appellaveris *Fallitos*, *Bancofallitos*, & *Bancorottos*, quàm Debitores. Nam lepidè Martialis in Sextum quendam:

Sexte nihil debes, nil debes Sexte; fatemur.
Debet enim, si quis Solvere Sexte potest. Lib. 2. epigr. 3.

Hi

Quasi herba irrigua succreverunt uberrimè: Plaut. in Trinum.

Et

Et

Id. ibid. *Eorum licet iam messem metere maximam.*

Sal. ad Cæsar. Ideoque hodie, *omnia bona vilia sunt: fides, probitas, pudor, pudicitia.*

Mercatura fit maculatura: commercium latrocinium, *forum frugiferum, forum furiferum.* Plaut.

Bern. Ep. 42. 2. *Nunc cernente mundi orbe* [scelus hoc] *tacebimus maior erit confusio voluisse celare, cùm celari nequiverit.* 11. Fallitorũ vitia aperienda, non operienda.

Ec quis tam expers humanitatis? quis huius orbis nomini ac sedibus *usque adeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere, aut ullâ ratione publicis incommodis mederi non studeat?* Cic. l. 3. ad Q. frat.

Greg. sup. Ezech. *Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.*

Quocirca nos benè monet sanctus ille Doctor: *De fratribus collapsis cogita, putatoque te thesaurum reperisse, dum occasionem illis medendi nactus sis.* Chrysost. Orat. 5. adversus Iudæos. Interficiendi errores: diligendi vero sunt homines.

Martial. l. 10. Ep. 33

Hunc servare modum nostri nevêre libelli,
Parcere personis, dicere de vitijs.

Buchan. Baptist.

--- mea
Hæc ratio semper fuit, uti reprehenderem
Delicta publica publicè: occultè nihil
Facio, doceovè. Non latebras aucupor
Cæcas: nec homines, sed vitia redarguo.

Leges recenseo, Pœnas Fallitorum aperio, ut ijs corda concutiam, *auditu castigem malos, strenuos quosque hortet in bonis, & remissos terream pro delictis.* Aug. Ser. 106. de temp.

--- faveant
Docti, æqui collaudent, applaudant candidi. Schon. in Naan.
Nigros verò ac maleuolos, qui obtrectant, nihil
Moror: quin pulchrum his displicuisse autumo.
Bonis meam probari studeo industriam,
Malignum obtrectatorum spernens calculum.

Budæus in Pandectas in l. moris. ff de pœnis.

Nonnunquam convenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties multis hominibus grassantibus exemplo opus est.

DANIE-



DANIELIS SAVTERI

MASTIX FALLITORVM.

Id est,

Varium Ius apud varios Populos, de DEBITORVM, ſeu FALLITORVM, Pœnis.

CAPVT I.

Animadverſionem utilem eſſe: hanc in Debitores ac Fallitos factam: & à quibus.

Boëtius l.4.p.4.



M*Vltò infeliciores improbi ſunt iniuſta impunitate donati, quàm iuſta ultione puniti.*

Animadverſio in malos neceſſaria.

Ideoque non malè faciunt qui in eos animadvertunt. Vtile enim hoc non tantum ipſis, ſed & alijs: nam caſtigatio fit *tùm ad eorum malos mores ultione corrigendos, tum ad rectum ſupplicij terrore alios deducendos.*

Idem ibidem.

nobis antiqua consuetudo repetenda.

Partitio operis. Et maximè consuetudo

GENTIVM; *Gentiles.*

CÆSARVM; *Cæsares.*

REGVM GALLIÆ; *Reges.*

MAGISTRATVVM. *Magistratus.*

A quibus omnibus, infando Debitorum Fallitorumque sceleri, (ex quo luctus ac mœror miserabilis Creditoribus) parata atque indicta fuêre supplicia, quorum metu *humana coërcetur audacia, tutaque foret inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænaretur nocendi facultas.* *Isidorus lib. Etymolog.*

Lipsius in Polit. *Materiam ostendi: sed communiter, & ostendi tantum. ipsam (sodes) mecum ingredere.*

Diffusa (ut assequare) haud confusè dabo. Aperitur hic quidem campus, imo verè campus: at vt te per rectam ducam semitam, ipse primò pedem figam, & non solum distinctè sed lentè & impressè *latos & latos Historiarum campos ingrediar.* *Idem l. 5. c. 1.* *Historici Magistri materiam dabunt.*

CAP. II.

Apud GENTES *octo genera Pœnarum, more & legibus constituta in Debitores ac Fallitos.*

Fallitorũ pœnæ apud Gentes.

SEmper in Debitores Fallitosq; injustos acriter constitutum est, *iure Gentium, & legibus populorum, quibus in singulis civitatibus Respub. continetur.* Hocque eorum *spectarunt leges, hoc voluere, incolumem esse civium coniunctionem, quam qui dirimerent, eos* [variis pœnis] *coërcuerunt.* Cicero l. 3. Offic. Idem ibidem.

Octo enumeratæ.

OCTO *genera pœnarum in Legibus contineri Tullius scripsit, id est, Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Servitutem, & Mortem.* Isidorus lib. Etymol.

Eæque adversus fraudulentos Debitores usurpatæ.

Quæ pœnarum genera constituta & usurpata fuerunt, etiam ad plectendos eos, *qui perfidiæ flagitiis dedecorati, aut nota nefariæ* [decoctionis] *insignes forent.* Alexand. ab Alex.

Diligenter enim prospicere voluerunt (quãtum provideri humana diligentia valuit) ne hóc malum per totum Reipub. corpus diffunderetur. Est autem haud impar virulento morsui Tarantulę pestiferam perniciem afferenti: nam *huic diro animali* [sicuti] *tanta mali vis inest, ut quemcunque morsu percusserit, nisi celeri remedio succurratur, aut stupor exitialis primò, deinde certa nex sub-* Idem l. 2. cap. 17.

Quorum fraus virulento morsui similis.

subsequatur necesse est: aut si qui fortè vitæ damnum evaserint, veluti abalienati mente & semivivi, continuo stupore & bebeti sensu oculorum auriumque affecti, vitam miserabilem ægerrimè ducant.

Ita quoque sese res habet cum Fallitis: nam nisi eorum decoctorij veneni vis atrocissima supplicijs propulsetur è visceribus Reipublicæ; citò illa per multorum animos dimanatura est, valetudo animi imminuetur, ac veluti sensu amisso ac mente abalienati, in omne facinus homines prolabentur.

Primum pœnarum genus in Debitores ac Fallitos: DAMNVM.

CAP. III.

Debitorum Fallitorumque (qui DAMNO *affecti) bona omnia auctioni publicæ subiecta.*

QVid æquius, quam qui (nullo jure) afficit alios DAMNO, rursus pro delicti iusta punitione DAMNO mulctetur? Id quia iustum æquumque Gentes iudicarunt, propterea fraudulentos Debitores hoc damno affici curarunt, ut eorum bona publicè constituta auctione divenderentur. In civitate Romana LEX

Auctio bonorum omnium

Romanis usitata,

erat IVLIA, qua Debitoribus, qui solvendo non essent, bonis suis cedere licebat, & *per eam cessionem Creditoribus potestas relinquebatur damnati bona publicâ auctione divendendi.* l. 1. & l. 4. C. qui bon. ced. poss.

Ad quam bonorum venditionem illud Ciceronis spectat: *videte etiam P. Decij auctionem, clarissimi viri, qui maiorum suorum exempla persequens, pro alieno se ære devovit emptori.* Cicero Philip. 2.

Vsitata & Ægyptijs. Ab Ægyptiis id quoque pœnæ genus fuit concessum: nam eorum constitutione factum, *ut in ipsas res & bona Debitoris animadversio fieret.* Alex. ab Al. l. 6. c. 10.

Scribit & Diodorus apud eosdem sancitum fuisse, ut *eorum quidem corpora, qui civitatibus bellico usu addicti forent, à Creditorum violentia, libera essent: in bona tantùm illi ius haberent.* Diodorus Siculus.

CAP. IIII.

Disquisitio superioris pœnæ.

Plerumq; sub atrocitate iuris scientiæ erratur periculose. OMnibus suis bonis hominem debitorem denudare, inhumanum facilè cuiquam videbitur: Natura enim potius ob germanitatis necessitudinem docet, ope, consilio & auxilio iuvare, quam velle in totum privare; *Nec sanè est vindicandum nobis quicquid licet: nam summum ius antiqui summam putabant crucem.* Columella lib. 1. de Re Rust.

Tum-

Tumque maximè disceditur ab æquitate, cùm maximè hæretur legum literis, *ex quo illud rursus,* SVMMVM IVS, SVMMA INIVRIA, *factum est iam tritum sermonè Proverbium.*

Cicero l. 1. Offic.

Verum quod Gentes bona Debitorum distraherent, factum id quod bona aliis iniustè fraudulenterque subtracta, denegarent reddere: quemadmodum igitur (Alexandro iubente) *fumo puniebatur, qui fumos vendiderat,*

Erasmus in Adag.

Ita & DAMNO affici patiebantur, id est, bona eorum universa vendi iusserunt, qui DAMNA aliis intulerant, sicque *crudelem medicum intemperans æger fecit.* Quid mirum, si ardentem Debitorum Fallitorumque in defraudando libidinem congrua supplicii acerbitate cogere & coercere enixi sint? *Ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, nisi per dura & aspera coërceas: corruptus simul & corruptor, æger & flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quum libidinibus ardescit.*

Publius Mimus. — Ideoq; in iure æquitas spectãda.

Tacitus l. 3. Annal.

Quanquam non idcirco illam probem cõsuetudinem, qua omnia Debitorum bona divendi solebant, *imò usque ad peram & sacculum, & usque ad subligamentum excuti.*

Humanitatisq; regula sequenda.

Fab. l. 3. c. 6.

Debitoribus enim sua si bona ita subtrahantur, ut eis nihil ad victum & cultum relinquatur,

quatur, quid aliud est, quam eos *non modò è numero vivorum exturbare, sed infra etiam mortuos amandare?* Probo magis VVurttenbergicum ius municipale, *quod nequaquam omnibus omnino rebus denudat Debitores, sed ad victum & amictum quotidianum ipsis relinquit, ut se suamque familiam alere queant.*

Cicero in Orat. pro Quintio.

Iohann. Harpprechtus ad Tit. de actionib.

Secundum Pœnarum genus in Debitores Fallitosque:

VINCVLA.

CAP. V.

Debitores Fallitosque In VINCVLA *abduci solere.*

1\. *Apud Romanos Debitoribus conquirendæ pecuniæ tempus datum.*

APud Romanos, secundùm legem XII. Tabularum, Dèbitores perfidi in VINCVLA conijciebantur. Ne autem in eo genere pœnæ videretur quid iniustitiæ inesse, primò *confessi æris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati, conquirendæ pecuniæ caussa, quam dissolverent: eosque dies* Decemviri iustos *appellaverunt, velut quoddam iustitium, id est, juris inter eos quasi interstitionem quandam & cessationem: quibus diebus nihil cum his agi jure posset.*

A. Gellius lib. 20. c. 1

Post

Post deinde, nisi dissolverent, ad Prætorem vocabantur, & ab eo quibus erant judicati addicebantur; nervo quoq; aut compedibus vinciebantur: Hęc enim sunt verba legis: *Æris confessi, rebusque jure iudicatis, triginta dies iusti sunto: post deinde manus iniectio esto, in ius ducito: ni iudicatum faxit, aut qui endo eo in iure vindicit, secum ducito, vincito, aut nervo aut compedibus quindecim pondo, nec minore: aut si volet, maiore vincito: si volet, suo vivito; ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato; si volet, plus dato.* 2 Ni solverēt ad Pratorē citabātur. 3. In ferrea vincula cōs iiciebātur.

Alexander ab Alex. l. 6. c. 10.

Erat autem jus interea paciscendi, ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta. *inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ iudicati essent, prædicabatur: tertiis autem nundinis capite* (ut infra Cap. XVII. dicetur) *pœnas dabant.*

A. Gellius l. 20. c. 1.

De VINCVLIS testimonium quoque extat apud Livium tale: *Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniæ iudicati in vinculis essent. &c.*

Livius lib. 23.

Sic & legibus Atheniensium agere licitum erat, apud quos non vilia civium capita, ob pecuniæ solvendæ impotentiam, in vincula compegebantur. Idque quam severè & duriter, satis monstrat Cimonis Miltiadis F. Atheniensis in vincula coniectio. *Qui ob*

Idem ius apud Athenienses de vinciendis debitoribus

Val. Max. l. 5, c. 4. Alexander ab Alex. l. 6. c. 10.

 mulctam

mulctam patris in vinculis mortui non dissolutam, ysdem detentus est vinculis: neque emitti potuit, nisi pecuniam, qua pater mulctatus esset, solvisset.

CAP. VI.

Disquisitio pœnæ Vinculorum.

Vincula sublata.

CONstat *vincula ad singularem pœnam nefary sceleris inventa esse.* *Cicero Orat. 4. in Catil.*

Ideòque non malè LEGE POPILIA vincula sublata sunt, eorumque duritiem LEX PETILIA relaxavit, statuitque *ne quis ob æs alienum vinciretur, & ut pecuniæ creditæ, bona debitoris non corpus obnoxium esset.* *Mysingerus in Inst. l. 4. de act. Livius l. 8*

Vnde ipse Cicero: *facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?* *Cicero 7. in Verr.*

Hinc quoque Poëta:

Fas prohibet Latio quenquam de sanguine natum, *Ovidius l. 2. Trist.*
Cæsaribus salvis, barbara vincla pati.

Sed isto jure tandem desitum: nam quamvis LEX PETILA annos amplius septingentos inviolabilis exstitit, *Diocletiani* tamen ætate, immutata est, *qui subiecta capitali pœna eam revocari iussit.* *Bodinus de repub. l. 1. c. 5.*

At immutata tempore Diocletiani.

Sic leges, *pro temporum moribus & pro Rerumpublicarum* *A. Gellius l. 20. c. 1.*

publicarum generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus, mutantur atque flectuntur, neque uno statu consistunt: quin ut facies cæli & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus variantur.

Tertium Pœnarum genus in Debitores ac Fallitos: VERBERA.

CAP. VII.

Verberibus in Debitores animadversum.

VErberandos atque percutiendos Debitores alienæque pecuniæ defraudatores, censuêre quoque Maiores.

ROMANI.

1 Apud *Romanos* erant Triumviri Capitales, qui ius ad COLVMNAM MENIAM (cognomen inditum à Menio quodam) dicebant, & octo habebant lictores, quos Plautus appellat 1. *Vapulare ad columnã Meniã.*

Astutos, audaces viros, valentes virgatores, *Plautus in Asinar.*

qui III. virûm iussu in damnatos animadvertebant. Asconius Pedianus indicat, *apud* COLVMNAM MENIAM *sordidos reos veluti fures* *Asconius in divin.*

 aut

aut servos nequam solere iudicari, ubi in prospectum populi Romani producebantur, & virgis cædebantur. Quo in numero probabile est Debitores, qui non fortunæ iniuria, sed sua culpa & nequitia ad egestatem redacti erant, habitos fuisse arbitror, eoque pertinere locũ illum Sextianæ Orationis: *Olim, ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad Columnam adhæresceret, in Tribunatus portũ profugerat.* Hucque facere puto illud Plauti: *Cicero ad Pisonem.*

Tune terræ me odium esse autumas? abducite hunc
Intro, atque astringite ad columnam fortiter.
Nunquam auferes huic aurum.

Plautus in Bacch.

VETERVM MOS.

2 *Plumbatarum ictibus subjici*

2 Solebantq; olim damnati debitores plumbatarum ictibus subiici. *Plumbatæ* dicuntur pilæ plumbeæ, quas veteres peregrino vocabulo *martiobarbulos* vocabant. *His percussi debitores, & ulcerati perpetuis matallorum suppliciis posteà deputabantur.* *Vegetius de re militari l. 1. c. 17. Benvenutus Tract. de decoll.*

MOSCOVITÆ.

3 *Fustibus cædi.*

3 Apud *Moscovitas*, qui æs alienum conflaverant, non habentes unde Creditoribus reddant, ex legis præscripto in locum certum & publicum ad id ordinatum ducuntur, ibique

à servis

Gaguin. in descr. Mosc. c. 4

à servis Prætorianis, flagris, baculisque per suras & crura pedum graviter absque ulla misericordia cæduntur, tamdiu, donec (undecunque accipiendum sit) creditoribus sua reddant. quod si solvendo non sufficiant, tum verberibus multoties exagitati, Creditoribus secundùm valorem debiti servire coguntur.

CAP. VIII.

Disquisitio tertia pœnæ, quo ad Verbera.

Quanti fidem maiores fecere.

A. Gellius l. 20. c. 1.

VOluere Veteres, omnium maximè atque præcipuè Fidem coli, sanctamque haberi, tam privatim, quàm publicè: *eamque fidem non modo in officiorum vicibus, sed in negotiorum quoque contractibus sanxerunt, maximeque in pecuniæ mutuaticæ usu atque commercio: adimi enim putaverunt subsidium hoc inopiæ temporariæ, quo communis hominum vita indiget, si perfidia debitorum sine gravi pœnâ eluderet.*

Lex lata pro tergo civis Romani.

Alexander ab Alex. l. 3. c. 20.

Hinc fidei sanciendæ gratia, flagrorum atrocitate verberumque cruciatibus perfidiam metuendam voluerunt reddere. Verùm huic Debitorum malo, gravique infortunio, tandem apud Romanos subvenere, lex Porcia, lex Sempronia, lex Catonis. *Porcius Cato pro tergo civium, ne cui impunè insultare liceret, legem tulisse fertur.*

qua si quis verberasset, necasetve Romanum civem, gravi judicio mortis, cruciatus, bonorumque & exilij pœnis mulctari sanxit. quam legem Sempronius Consul alijs latis novisque additis pœnis confirmavit, quæ Porcia & Sempronia dictæ.

Hâc immunitate postquam civis Romanus donatus erat, iure divus Apostolus Paulus, ne vapularet, se civem Romanum esse pro- *Act. 22.*
Ad quam legem S. Apostolus appellat. fitebatur: *quum enim adstrinxissent eum loris, dixit* *vers. 25.*
astanti Centurioni Paulus, num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Hoc vero quum audisset Centurio, adijt Tribunum, & annun- *Vers. 26.*
tiavit ei dicens, vide quid facturus sis, homo enim iste ROMANVS *est.*

Quartum Pœnarum genus in Debitores Fallitosque: TALIO.

CAP. IX.

Talionis pœna in Debitores Fallitosque à quibus usurpata.

Talionis pœna. 1 EX lege TALIONIS agier oportere in Debitores censuêre nonnulli. Hæc autem probata fuit apud *Gnosios*, qui *Debitores* *Plutarchus in quæst. centur. Græc.*
obnoxios

obnoxios fecêre raptoribus qui eriperent eis nummos, utpote, qui pecuniæ alienæ neque parcerent.

2. Alphonſus Aragonum Rex, ad Talionis rigorem volens debitorem redigere, iuſſit *ut lueret corpore qui corpori impendiſſet opes.*

Cumque Eques quidam ingens patrimonium per luxum ac libidinem abſorbuerat, atque inſuper magnam æris alieni vim contraxerat, pro hoc intercedentibus quibuſdam apud Aragoniæ Regem, ne ſaltem, quæ debebat, corpore luere cogeretur, reſpondit Alphonſus Rex: *Si tantam pecuniam vel in Regis obſequium, vel Patriæ commodis, vel ſublevandis propinquis impendiſſet, audirem: nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt ut luat corpore, ut pœna malefactis ex æquo reſpondeat.* *Exemplum* *Panormita l. 1. de rebus Alph.*

3. Ita & reperiuntur Edicta publica multa, quæ ipſam TALIONIS pœnam in debitores decoctoreſque admiſerunt. quid enim aliud ſibi volunt iſta verba Legis antiquæ? *Ne quis de civitate vel comitatu fugitivos debitores ſub tecto recipiat.* Ecce, qui alios ſuis tectis & bonis defraudando cedere facit, is indignus hîc habetur, *quem quis reciperet tecto, adiret, alloqueretur, aut quem quis reſpicere vellet.* *Edicta publica.* *Benvenutus Tract. de decoct.* *Cicero pro Cluentio.*

Sic quoque legibus cautum, *dare eis auxilium, conſilium,*

consilium, aut præstare favorem, aut advocare aut allegare pro eis; & qui contrafaceret, puniretur libris ducentis tertialorum, pro qualibet vice. Baldus cons. 382. vol. quinto circa legẽ, Ne quis.

Aversum à favore alienumque ab amore hominum voluere eum, *cuius fugæ negligentiæque deformitas averterat ab amore omnium.* Cicero Epist. l. 9. Atticum.

TALIONIS igitur pœnam exercitam vidimus: restat, ut huius pœnæ æquitatem breviter exequamur.

CAP. X.

Disquisitio pœnæ quartæ Talionem imperantis.

Talione iniurias vindicare, haud licet privatis.

PHarisæi & Iudæi promiscuè hâc lege in eo abutebantur, quod privati qualibet de caussa τὸ ῥητὸν urgebant, & ad Talionẽ apud Iudicem postulabant lædentem, ubi poterant ignoscere, perferre iniurias. Hanc vindictę cupiditatem taxat Dominus noster IESVS CHRISTVS, inquiens: *audistis dictum fuisse, oculum pro oculo, & dentem pro dente, ego verò dico vobis, ne resistatis malo.* Matth. 5. 38.

Ostendit privatorum hominum munus, non taliones reciprocas, verum condonationes fraternas requirere. quò & spectat *Lex Amne-* Alexander ab Alex. l. 6. c. 10.

stias

stias (id est malorum oblivio) quâ veterum admissorum impunitas dabatur.

Hæc non tantùm inter Athenienses, sed & inter Hebræos erat; verba Legis divinæ hæc

Levit. 19. vers. 18. sunt: *Non ulcisceris, neque observabis iniuriam contra filios populi tui.*

Ita sanè Lex & mens legis ad concordiam spectabant, ut privatis liceret ignoscere magis,

A. Gellius l. 20. c. 1. *quam iniurijs talionem apponere.*

2 *Magistratus* intereà officium erat suo muneri non deesse, sed improbos pœnis taliatis coërcere, ut alijs timorem incuterent. Magistratui lex Talionis concessa.

Deut. 19. vers. 21. Sic enim Dominus loquitur ad eos: *Ne parcito oculus tuus: vita pro vita, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede esto.*

Ipse Deus Talionis pœnâ suum affligit Davidem, *cùm scilicet pari pœnæ genere eius concubinæ violantur, uti ipse uxorem Uriæ violarat.* Danæus in Eth. Chris. l. 2. c. 13.

Nec non Rex *Salomon* pœnam justę Talionis luit: Nam, *quemadmodum ipse cultum sacrum partitus erat, eum partim Deo, & partim idolis concedendo, ita regnum eius divisum est, & pars filio eius cessit, pars verò Ieroboamo filio Nebath tradita est.* P. Martyr in loc. com. clas. 2. c. 4.

Quis acerbum aut iniquum hoc genus pœnæ putabit? *quæ, obsecro te, ista acerbitas est, si idem fiat in te quod tute in alio feceris?* A. Gellius l. 20. c. 1. 1 Eiusque legis æquitas.

C Hoc

Hoc pacto malum punitur, improbi terrore refrænantur, & alij exemplis cautiores redduntur, publicaque pax & tranquillitas promoventur, unde TALIONIS pœnam in debitores, decoctoresque à priscis legum conditoribus commodè constitutam fuisse, *ipse æquitatis habitus demonstrat.*

2. *Vtilitas.*

A. Gellius lib. 20. c. 1

Cuius pœnæ observantia si in usu adhuc haberetur, tot improbissimi *Falliti* non invenirentur, qui videntes omnem fermè pœnam negligi, ideò audacius *ad illicita resolvuntur.*

3. *Necessitas.*

Gregor. in moralib.

Neque hoc mirum: *maxima enim illecebra peccandi, impunitatis spes.*

Cicero pro Mil.

Quintum pœnarum genus in Debitores ac Fallitos: IGNOMINIA.

CAP. XI.

Variæ Ignominiæ species enumeratæ, quibus apud diversas gentes Debitores Fallitique olim affecti.

BOEOTII.
TYRRHENI.
TYPI.
ROMANI.
ÆGYPTII.

Quia

Baldus l. 1 ff. de his qui not. infam.

Decoctorũ pœna Ignominiosa.

QVia debitores & *falliti plerumque sunt fraudatores, in numero ergò infamium videntur.* Exempla Gentium & omnis ævi docent. Inprimis

BOEOTII.

Apud Bœotios.

Nicolaus Damascenus. Alexander ab Alex. l. 6. cap. 10.

1 In quibusdam Græciæ urbibus mos fuit, decoctores in forum inducere & sedere jussis cophinum sive corbem capiti imponere, ludibrii caussa: idque vocabant κοφίνωσιν. Nicolaus Damascenus de ritibus Gentium. Βοιωτῶν ἔνιοι τοὺς χρέος οὐκ ἀποδιδόντας εἰς ἀγορὰν ἄγοντες καθίσαι κελεύουσιν. εἶτα κόφινον ἐπιβάλλουσιν αὐτῷ. ὃς δ' ἂν κοφινωθῇ, ἄτιμος γίνεται.

TYRRHENI.

Heraclides in polit.

Apud Tyrrhenos.

2 Apud Tyrrhenos, *si quis æs alienum, quod conflaverit non persolvat, sequuntur eum pueri, vacuum gestantes marsupium, ignominiæ caussa.*

TYPI.

Cælius l. 10. c. 20. antiq. lect.

Apud Smyrnæos.

3 Typi *apud Smyrnæos & Athenienses iudicium erat, quo iis interdicebatur foro, qui creditoribus paria non fecissent.*

ROMANI.

Apud Romanos.

4 Apud Romanos variis ignominiæ notis infames contemptique fuêre obærati, fallitique.

1. *Amara sugillatio.* Primò ij per contemptum *divites* sunt cognominati; *quid? Crasso pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit? sed eidem posteà inopia turpem decoctoris superlationem immisit, siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, venierunt: itaque amara sugillatione non caruit, cum egens ambularet, dives ab occurrentibus salutaretur.* *Valerius Max. l. 6. c. 11.*


2. *Eiectio à theatris.* Secundò: *Lex Othonis* debitores fraudulentos à theatris eiecit: sed cum discrimine: nam decoctoribus *qui fortunæ naufragio, non suo vitio decoxissent, certus in theatro locus constitutus erat: qui verò vilitate & gula aut luxuria se autorassent, vel ære obligassent, à theatro arcebantur penitus.* *Alexand. ab Alex. l. 5. cap. 16.*

Tertio: fuit & LEX ROSCIA THEATRALIS, quâ certus locus decoctoribus seu fallitis *fuit constitutus, in quo spectandi caussâ starent, utque ab aliis digito monstrarentur.* *Cicero in Philip. 2.* *Benuenutus de decoct. tract.*

3. *Catamidiatio.* Quam ignominiæ atque dedecoris notam insigniorem fecit *Imperator Adrianus*, qui edicto suo voluit ut falliti *in amphitheatro catamidiarentur, id est, deridendi omnibus per theatrum præberentur.* *Spartianus in vita Adriani.*

Quartò: Si quando damnati debitores iudicatum facere non poterant, publicè vendebantur. Et quæ ignominia maior, quàm sub

præcone



prȩcone ſubiici? Indeq́ue Romanorum inſtitutum natum arbitror, ſcilicet ut Reges exteros, qui ſolvendo non eſſent cũ purpurâ & ſceptro, & corona in ſella Regia collocatos publicè venderent; unde Cicero pro Sextio (agens de Ptolomæo Cypri Rege) ſic ait: *De hoc nihil cogitante eſt rogatum, ut ſedens cum purpurâ & ſceptro, & illis inſignibus regijs præconi publico ſubijceretur: & imperante populo Romano, qui etiam bello victis Regibus regna reddere conſuevit, Rex amicus, nulla injuria commemorata, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur.*

Cicero pro Sextio.

Sic alio in loco Cicero ubi agit pro domo: *Vbi Cyprius Rex cum bonis omnibus ſub præcone ſubijceretur.*

Cicero pro domo.

Publicandi regni cauſſam hanc Clod ius lege ſua præſcripſerat, de qua lege Dio lib. 38. commemorat.

Dio lib. 38.

ÆGYPTII.

5. A Romanis ad *Ægyptios* deveniamus. His autem in uſu erat *defunctorum corpora unguentis delibuta, ac ſi vivi eſſent, creditori oppignorare, & ſuper his fœnerari, magno dedecore illorum, qui conſtituta die non reluiſſent.*

Alexander ab Alex. l. 6. c. 10.

Apud AEgyptios

Oppignoratio corporũ mortuorum.



GRÆCI.

Hanç legem promulgavit rex *Acychis*, ad eandemque adiecit, ut *penes creditorem esset potestas omnis sepulchri debitoris: utque hæc irrogaretur mulcta pignus deponenti: quod si dissolvere æs alienum debitor recusaret, fas non erat sepeliri, aut in paterno aut ullo in alio sepulchro: aç ne alium quidem ex seipso progenitorum sepulturæ mandare.*

Herodotus Diodorus.

ATHENIENSES.

Columnæ debitorum indices in agris ære alieno obrutis, cum inscriptione ignominiosâ fixæ.

Athenis in agris eorum qui ęre alieno obruti solvendo vix essent, columnæ defigebantur, in quibus perscripta erat debiti magnitudo, & debitoris nomen. Factitatum verò id ab ipsis eâ fini, ut ne quis ei postea imprudens fœnori nummos locaret aut crederet. atque istæ columnæ ὅροι appellabantur. Auctores Suidas & Etymologicographus in dictione ὅρος. Hos ipsos ὅρους intelligit Theophrastus in Ethicis Characteribus capite περὶ μικρολογ. Ager qui eiusmodi columnas non haberet, ἄστικτον χωρίον nominabatur: ijsdem Etymologicographo & Suidâ auctoribus. & teste inprimis Harpocratione doctissimo Grammatico, in Lexico Decem Rhetorum Græcor.

Hinc

Hinc dimanasse apud Belgas sermo ille popularis videtur, de ære alieno obrutis, quique ædes suas aut agros *sumtis in fœnore nummis* pignori opposuerunt. *Daer staen sulcke palen in't Landt ofte Huys: 'tis wel ghebeyt, 't sal niet wech loopen.* Amarulenti sane ioci. Item: *Daer staen palen in, die niemant uyttrecken kan, dan met gelt.* — Iuvenal.

CAP. XII.

Disquisitio quintæ pœnæ Ignominiam infligentis: in qua primò actum, de venditione hominis: secundò, de oppignoratione corporum mortuorum.

LAudanda quidem est in ferendis adversus improbitates legibus, prisci seculi salutaris severitas: in omni enim colluvie morum & hominum, *habendus metus, aut faciendus est.* — Sallust. orat. Lepidi.

Et, *quo pluribus præsidiis nititur improbitas ad excutiendum imperij iugum, hoc arctius contentiusque legum habenæ moderandæ sunt.* — Baudius cent. 1. Epist. 2.

Verùm, ut verè dicam, 1. Hominem vivum, instar pecudis, publicè vendere. 2. aut mortuum inhonestè tractare illud *simile monstri est, & omnem exsuperat socordiam.* — An sit licitum hominē vendere? — Alexander ab Alex. l. 6. c. 10.

1. Optimè in prius invehitur sanctus ille Doctor Ambrosius. *Vidi* (inquit) *ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci,* — Immane flagitium ab Ambrosio æstimatum. — Ambrosius c. 8. l. de Tobia.

deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis, & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem.

Privilegijs maioribus Hominis opificium à Deo est præditum, quàm ut ei cum brutis animantibus, quę ratione carent, eadem sors deputetur. Quis igitur iste Gentilitatis mos, scilicet, æris alieni mole gravatos, *ex edito lapide enunciare venales?* *Alexander ab Alex. l.6.c.10.*

Ab Ægyptijs prohibitum. Rectius ab Ægyptijs cautum affirmant, *ut ultra res & bona debitoris, nulla in corpus animadversio foret: nam pecuniæ creditæ bona, non corpus dixêre obnoxium.* *Idem lib. 6.c.10.*

II. *An mortuorũ corporibus insultandũ.* 2. Deinde, quid inhumanius videri potest, quam *super cadavere patris, pignore propter pecuniam acceptam tradito, fænerari?* *Diodorus lib. 1.c.8.*

Non decet, *mortuos flagellare.*

SOLON laude suâ dignus, qui ut cętera perpenso judicio & librato moderamine constituit, ita commodè quoque *corpus pro re addici, aut super eo fænerari sanctionibus vetuit, quæ lex Seisachtheia dicta, quasi oneris levamen, qua antea cavit, ut præter bona debitoris, in tergum & corpus nulla vexatio esset.* *Erasmus in Adag.* *Alexander ab Alex. l.3.c.20.* *Solonis σεισάχθεια.*

Eandemque corporum mortuorum oppignorationem, non sine magno Christianorum dede-

dedecore, à Christianis usurpatam, justa reprehensione à B. Ambrosio insectatam legimus. *Quoties* (inquit) *vidi à fœneratoribus teneri functos pro pignore, & negari tumulum, dum fœnus exposcitur. quibus ego acquiescens, dixi: tenete reum vestrum, & ne vobis possit elabi, domum ducite, claudite in cubiculo vestro, carnificibus duriores; quoniam quẽ vos tenetis, carcer non suscipit, Exactor absoluit.*

Ambr. l. de Tob. c. 10.

Ambrosij invectiva.

Tandem vero ab Imperatore Iustiniano turpis & inhonesta illa fœneratio, lege inhibita est, siquidem ille (teste Cuiacio) *omnem corporum oppignerationem abrogavit, legeque cavit, ne fieret.*

Iustiniani Cæs. Lex.

Cuiacius to. 3. pag. 597.

Sextum Pœnarum genus in Debitores & Fallitos:

EXILIVM.

CAP. XIII.

In exilium Debitores ac Fallitos dari solere.

VEluti, *Romanis pro maleficio exilij pœna fuit*; ita & apud eos, debitores fallitosque de civitate tolli, & à patrio solo relegari in exiliumque agi solere comperimus: *Tertiis autem nundinis, capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregrè venum ibant.*

Alexander ab Alex. l. 3. c. 20.

A. Gellius l. 20. c. 1.

Exilium scelerum pœna est.

Apud Romanos.

Hâc pœnâ debitores etiam mulctabantur apud Athenienses: *Cum enim totus Atheniensis populus ære alieno opprimeretur à divitibus, non tantum corporis nexu multi debitores à creditoribus ducebantur, verum etiam eorum multi extra patriam venundabantur, quæ venundatio miseris exilium triste afferebat.*

Apud Athenienses.

Plutarchus in Solone.

CAP. XIIII.

Disquisitio pœnæ de Exilio latæ.

Abesse à patriâ miserum est.

VErum quidem est, apud nonnullos, in exilium agi, minimè pro supplicio æstimatum est: *quia non pœna exilium, sed supplicij diffugium habitum, ne pœnas jure debitas luerent malefactores.*

Alexander ab Alex. l. 3. c. 20.

Attamen, cùm Patriâ nihil dulcius, nihilque jucundius quàm fruitio honestorum civium, propinquorum & amicorum, grave nec minus turpe est ab ijs omnibus divelli, ac relegari in loca ignota, *& extorres lare & patria, in exilio consenescere.*

Idem ibidem.

At fit sæpe, ad subterfugiendam aliam calamitatē.

Hoc tamen supplicii genere usi sunt Decemviri apud Romanos, *ne miseri debitores in vinculis ætatem consumerent; consultius siquidem esse iudicarunt eos sexaginta duntaxat dies in vinculis esse, deinde venum peregrè mitti, quàm domi perpetuis vinculis*

Ia. Reuar. tom. 1. ad legē XII. Tab. c. 8.

vulis contineri, ac seditiosis hominibus perpetuam crudelitatem , immanique Creditorum sævitiâ , populi commiseratione , odio Patrum , plebisque inconstantiâ , bellis intestinis ac seditionibus fenestram aperire .

Septimum Pœnarum genus in Debitores Fallitosque:

SERVITVS.

CAP. XV.

Quinam Nexi dicti : eorumque dura servitus.

Livius l. 2. & 7. II, quos in historia NEXOS sæpè dici audimus, differunt ab *obæratis:* etenim *obærati dicebantur qui conflassent æs alienum, nec tamen à Creditoribus in vincula essent abducti. Necti verò pronunciabant eos, qui creditoribus traderentur.* *Servitus debitorum duplex.*

A quibus, quia æs alienum fecissent, idque cumulatum usuris foret, abducebantur.

Cælius l. 12. c. 20. antiq. lect. Primò, *vel in ergastulum quodammodo carnificinam;* 1. *In ergastulum abstrudi.*

Et, quod gravius multo erat, abducebantur item filij, imò etiamnum nepotes, quod Dionysius scribit, & obscurè significat Livius. *Dionysius.* *Si quid contradicerent, serviliter verberabantur. obsita erat squallore vestis, fædior corporis habitus, pallore*

ac macie peremti: adhæc ferè prolixa barba, capillique efferabant speciem oris, vix ut noscitarentur in tanta deformitate.

Secundo, vel abducebantur in servitutem temporariam & ad opus ceu iumentum adigebantur, testaturque Livius NEXOS fuisse solutos: *iussi* (inquit) *consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, pœnam daret in compedibus, aut in nervo.* *Livius lib. 8.*

2. In servitutem abduci.

Tum igitur observari cæptum est, ut qui creditoribus addicerentur, soluti operas darent, adque hanc miseriam referri à quibusdam video hæc verba Senecæ: *O miserum, si quem delectat sui patrimonij liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos!* *Seneca l. 7. c. 10. de benef.*

Sic *Dives, in pauperes dominatur: & servuus fit, qui mutuatur viro danti mutuum.* *Prover. c. 22. cap. 7.*

Hacque miserâ servitute olim pressus *Titus Veturius, filius eius Veturij qui in consulatu suo Samnitibus obturpiter ictum fœdus deditus fuerat: hic autem propter domesticam ruinam & grave æs alienum Cælio Plotio nexum se dare adolescentulus admodum coactus est.* *Val. Max l. 6. c. 1.*

Exemplum

Id est, (ut cum Varrone loquar) *liber suas operas in servitute pro pecuniâ quam debebat, dabat.* *Varro de ling. l. 6.*

Sic plures olim pecuniæ damnati, quòd iudi-

iudicatum facere non poterant, Nexi in servitutem creditoribus sunt addicti, à quibus tamdiu tenebantur, donec vel serviendo debitam pecuniæ summam compensarent, vel creditorum miseratione, vel boni Iudicis indulgentia & liberalitate nexu, id est, servitute solverentur. Durius igitur cum debitoribus & eiusmodi farinæ hominibus apud Agrippinenses Romanæ coloniæ populos agitur; ubi (sicuti ex aliorum relatu percepi) capti in servitutem ac vincula ducuntur, & eò loci, quò publica via est, catenis nexi detinentur, atque tamdiu stipem emendicare coguntur, donec creditoribus satis abunde factum sit. *Leges Saxonicæ eosdem vinciunt.* De Vinculis vero latius dictum supra Cap. V.

Tempus servitutis.

Colen ad Rhenum.

Durius quid.

Nahum Dominic. 22. Trini.

CAP. XVI.

Disquisitio pœnæ addictorum sive Nexorum, miseram servitutem complectentis.

REfert Livius, anno ab Vrbe condita CCLIX, *Appio Claudio & P. Servilio coss: civitatem secum ipsam discordem intestino inter Patres plebemque flagrasse odio, maximè propter Nexos ob æs alienum: inde enim magnæ obortæ seditiones, eo*

Livius.

Ob servitutem Nexorum obortæ seditiones.

quòd Plebs nollet à Patricijs & Opulentis adeò crudeliter tractari.

Hanc invidiam sua sponte gliscentem, miserabilis unius fortuna maiorem in modum auxit. *Magno natu quidam squallida veste, fœdoque habitu, corporis pallore & macie insigni, se repentè in forum proiecit. Ad hunc visendum multorum factus est concursus. ille duo se de triginta stipendia fecisse testatus, multaque pro publica libertate pericula adivisse, quorum plurimæ toto corpore cicatrices, testes essent. Sabino bello fructibus & pecore ab hoste direptis, villaque incensa, ob tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse, idque semel conflatum, perpetuis usuris, paterno se agro primum exuisse, mox & avitō, inde fortunis alijs; postremò ad corpus velut tabe quadam pervenisse: ductum se à creditore cum duobus filijs non in servitutem sed in ergastulum & carnificinam sævissimam, ostentare tergum recentibus verberibus fædum incæpit, multisque cum lacrymis* QVIRITIVM FIDEM *adversus ea quæ indignè pateretur, implorabat. Ad hæc visa auditaque, tanta animorum indignatio orta est, ut toto foro primum tumultuatum sit, clamor inde & trepidatio totam urbem pervasit, vincti solutique in publicum se proripiunt, nullo deest loco voluntarius seditionis comes, discurritur passim totis vijs, nec sine*

Sabell.l. 8. En. 2. ex Livio.

Exemplum miserabilis spectaculi.

Liberi calamitatis paternæ hæredes.

Hinc tumultus.

peri-

periculo Patrum, qui tum fortè in foro erant, à quibus violandis concita multitudo haud abstinuisset; ni occursum fuisset à Consulibus.

Nam ad seditionem opprimendam Coss: Appius Claudius, & Pub: Servilius occurrerunt, crudelitatemque priorem antiquando pacarunt addito Edicto. Sicque *Servilius consul traditur primus, qui legem tulit, ne quis civem* Romanum *vinctum clausumque teneret, quo minus edendi nominis ei potestas foret;* *Usque sedatus.* *Alexander ab Alex. l. 3. cap. 20.*

Hinc posteà libertas Romanis civibus stabilita, sancitumque *ne quis unquam in nexum ire cogeretur ob debitum.* *Unde libertas.*

Octavum pœnarum genus in Debitores Fallitosque:

MORS.

CAP. XVII.

Morte solere affici Debitores ac Fallitos.

VLtimum & acerbissimum genus pœnæ, quo in Debitores animadverti apud quosdam solitum, MORS erat. *Mortis pœna.*

INDI

INDI.

1. Apud Indos. INDIS, *qui creditum moratur, si creditore reus agitur: mox præfixa die, si non solvit, manu trunca, & oculo effosso, morte afficitur.* Alexander ab Alex. l. 6. c. 10.

PISIDÆ.

2. Apud Pisidas. Apud PISIDAS *de abjurato deposito maximum erat iudicium, ut abiurans facinus, morte relueret.* Idem ibidem.

ROMANI.

3. Apud Romanos. Apud ROMANOS *si ob æs alienum creditori debitor addictus foret, post distractum patrimonium, re familiari destitutus, postque vincula & catenas, membra eius brevissimo laniatu ad creditorum libidinem dividi jubebat iniquissimo decreto sævæ atrocitatis immanitatisque.* Verba Legis XII Tabb. apud A. Gellium hujusmodi sunt: *Tertijs nundinis parteis secanto: si plus minusvè secuerunt, sine fraude esto.* A. Gellius l. 20. c. 1.

IMP. VALENTIANVS.

4. Apud Imp. Valentian. Imperator VALENTIANVS voluit debitores non solventes morte mulctari: ita enim de eo Ammianus Marcellinus: *Quod ubi debitorum aliquem egestate obstrictum, nihil reddere posse dicebatur, interfici debere pronunciabat.* Am. Marcel. lib. 27

BALDI

BALDI SENTENTIA.

BALDVS, qui in disciplina Iuris atque legibus noscendis interpretandisque scientia, usu, auctoritate inter cæteros illustris habetur, de debitorum fallitorumque pœnis ita sentit, & scribit: *Falliti sunt infames & infamissimi, & more antiquissimæ Legis deberent tradi creditoribus laniandi: adeò quod propter dolum suum non videntur beneficium cessionis habere, quod est subsidium miserorum, sed non præsidium dolosorum.* 5. *Apud Baldum.*

Baldus quē refert I. B. Sever. in tract. de susp. & fug. q. 1. nu. 13.

TVRCA.

Apud TVRCAS, Imperator, *detectâ perfidiâ debitorum, capite animadvertit in eos.* 6. *Apud Turcas.*

P. Ærod. l. 1. dec.

CAP. XVIII.

Disquisitio pœna MORTIS.

OB debitam pecuniam, adiudicatumve, occidi aut secari velle debitorem, *nihil profectò immitius, nihil immanius.* *Crudelis pœna non exercenda.*

A. Gellius l. 20. c. 1.

Ita quidem, fateor, interdum res se habet: *acerbitas plerumque ulciscendi maleficij, benè atque cautè vivendi disciplina est,*

Idem ibidem.

Verumtamen, videndum semper est ut

pœnæ ſint è moribus receptoque ritu, Δεῖ τὰς κολάσεις πατρικῶς ποιεῖν: *oportet ſupplicia more patrio ſumi.* *Ariſtot. 5. Politic. c. 11.*

1. *Nimium lædit.* Lædit, quidquid in his novum aut nimium: crudeleſque meritò, *qui puniendi cauſſam habent, modum non habent.* *Seneca 11. de Clem.*

Non audiendæ ſanguinariæ hirudines, *quæ ad crudeles pœnas, aut acerba iudicia invocant.* *Salluſt. ad Cæſar.*

2. *De honeſtat.* Sicuti neque probanda immanis ac barbara illa edictio, quâ debitor, qui non eſt ſolvendo, occidi permittitur. *Iudici* [autem] *non minus turpia multa* [mortis] *ſupplicia, quàm medico funera.* *Seneca 1. de Clem.*

Aut ſi gravitas delicti ita poſtulet: tardè tamen ad eam *veniet, tanquam invitus & magno cum tormento.* *Idem, ibidem.*

1. *Clementia glorioſior eſt.* Glorioſior verò via veſtigijs Clementiæ, (quantum fieri poteſt) inhærerè: nam & Clementiæ ſui nervi:

--- peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit: mandataque fortius urget
Imperioſa quies: *Claudian. de Mallij conſulatu.*

2. *Et laudabilior.* Quia, *remiſſius imperanti melius paretur,* *Seneca 1. de Clem.*

Laudabiliuſque, imperium tenet, qui

---- Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἐστί·
--- mitis eſt patris inſtar. *Homerus Odyſſ. ε.*

Exem-

Exemplum cape in Tiberio Cæsare, cuius imperij vis in Clementiâ, quâ usus ut in cæteris, ita sæpius ipsi *adversus sontes & extrema exempla meritos miseratio orta*:

Tacit. lib. 15. annal. — Exemplum in Tiberio.

Testis enim nobis Zonaras, *quod pecuniæ caussa neminem occiderit, neque bona cuiusquam publicaverit, neque ultra constitutum quicquam exegerit.*

Zonaras.

2. Nec non ab hominis humanitate abesse debet iniquum illud sænæ atrocitatis decretum, quo Decemviri creditoribus concedebant, ut debitoris, qui non esset solvendo, partes secarent. crudelis est animi, *Tenedia securi percutere.* II. Secandi immanitas.

Heraclides in Polit. Eras. Adag.

Crudelioris: hominem secare; si quidem *nihil videri potest efferatius, nihil ab hominis ingenio diversius, quàm quod membra & artus inopis debitoris brevissimo laniatu distrahantur, sicut nunc bona venum distrahuntur.*

A. Gellius lib. 20. c. 1

Nisi, ut reipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denuntiata sit, ne ad eam unquam perveniretur: *Addici namque & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi, quoniam sævitia ista pœnæ contemni non quita est.*

1. Iudiciũ de eâ lene:

Idem ibidem.

2. Cõiectura. Neque mihi eorum displicet coniectura, qui sectionis nomen inde confictum existimant propter legem XII. Tab. quæ debitoris corpus secari inter creditores permittebat, ut cùm lex à corpore ad bona translata esset, nomen, re mutata, permanserit, eòque illud Ciceronis tum pertinet: *Si funus id habendum sit, quo non amici conveniant ad exequias cohonestandas, sed bonorum emptores ut carnifices ad reliquias vitæ lacerandas ac distrahendas.* Cicero in Orat. pro Quint.

Quod si ita sit, mitigabit hoc legem XII. Tabb. ac propterea *de immanitate illa secandi, partiendique humani corporis plura non lubet dicere.* A. Gellius l. 20. c. 1.

CAROLI QVINTI IMP. EDICTVM in Debitores atque Fallitos.

CAP. XIX.

Boni Cæsaris esse, bonum publicum spectare: ad eundem brevis apostrophe.

Beatitudo subditorũ Cæsari debet esse præposita. QVoniam *præfationes libentius nos ad lectionem propositæ materiæ perducunt, & cùm eò venerimus euidentiorem præstant intellectum.* Caius Iurisc. l. 1. ff. de Orig. Iuris.

Pauca

Pauca idcirco (dicturus de Constitutionibus maximi Imp. CAROLI QVINTI Edictoque in Debitores, ac Fallitos) lubet præmittere, quæ in bono Imperatore requiruntur.

Cicero l. 8 ad Attic. Epist. 11. *Mihi quidem videntur huc omnia esse deferenda ab ijs qui præsunt alijs, ut ij, qui erunt eorum in imperio, sint quàm beatissimi.*

Tacitus l. 4. Histor. Malus ille Imperator, qui *ex magna fortuna licentiam tantùm usurpat.*

Cicero l. 1 de repub. Bonus ille, *cui beata civium vita proposita est*,

Aristot. l. 5. Politic. cap. 10. Prospicitque sedulo, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας μηδὲν ἄδικον πάσχωσιν. ὁ δὲ δῆμος, μὴ ὑβρίζηται μηδέν: *ut nec opulenti iujustum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat.*

Hâc autẽ in re maximè abit à Tyranno: nam ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων: *Tyrannus suum ipsius commodum spectat & quærit, at Imperator subditorum.* Tyranno, autem sua est. Idem l. 8. polit. c. 10

Homerus. Hicque verè est Homericus ille ποιμὴν λαῶν: *Pastor populorum.*

Seneca de Clem. Scias igitur quisquis hoc nomine, *civium non servitutem tibi traditam, sed tutelam:* Apostrophe ad Christian. Imperatorem.

Idem ibidem. *Nec rempublicam tuam esse, sed te reipublicæ.*

Vatem audi:

Claud. ad Honor.

Tu civem, patremque geras; tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna.

Custode rerum Cæsare, non furor — *Horat. l. 4. od 15.*
Civilis, aut vis eximet ocium,
Non ira, quæ procudit enseis,
Et miseras inimicat urbeis.

CAP. XX.

Imperatorem debere subditorum suorum quærere commodum, securitatem, salutem, CLEMENTIA, *&* IVSTITIA *administris: ad* IVSTITIAM *verò tria requiri.*

In Imperio confirmato & benè formato duo sint,

AD hanc candidam metam, (quam Imperatori demonstravimus) strenuè cucurrit Cæsarius ille athleta CAROLVS QVINTVS, legibus constituendis, edictisque in Decoctores, Fallitosque promulgandis. Sed quid audio? Placita, an *Placata* [ista, suntne] *implacabilia?* — *Baudius cent. 2. Epist. 14.*

Quæso; *durè scriptum* [in istis Constitutionibus] *quid exstimari potest?* — *A. Gellius l. 20. c. 1.*

Profectò: *ille Reipub. status optabilis & firmus est, in quo & privatim sanctè innoxièque vivitur, & publicè* CLEMENTIA *ac* IVSTITIA *vigent.* — *Polyb. l. 6.*

1. *Clementia* 2. *Iustitia.*

1. *Commendanda sanè Mansuetudo, atque Clementia est:* — *Cicero l. 1 offic.*

Ita tamen ut terribilis lenitas abesse debeat:

---- *Sol-*

Baudius l. 2. civil. sapient.

---- Solvitur vis ImperI,
Legumque sacrosancta maiestas perit,
Impunè si quis alliget vetito caput:
Hæc lenitudo ac mollis indulgentia
Populos & urbes sæpius pessum dedit,
Quàm bellicosa vis & hostium phalanx.

Adsit ab eâ, inepta lenitas:

Iacobus I. Rex in Britan. l. 2 ad filium. Intempestivæ huius Clementię duram experientiam vide in Rege illo θεοσεβεστάτῳ, qui fatetur *nullum aliud, quàm populum ingratum, imimperium dißolutum, lenitatis suæ præmium reportaße.* I. *Cuius fructus amarulenti.*

Cùm enim ex impunitatis spe flagitiosis hominibus ad peccandum libido accenditur, *Sallust. bell. Catil.* hinc, *Misericordia plerumque in miseriam vertit,*

Schonæus in Susan.
Alios [que] *multa mala docet turpis flagitij*
Impunitas.

2. Neque quisquam Imperatorem ad crudeles pœnas invitat, *quibus civitas vastatur magis quam corrigitur; Nihil* [que] *tam est deforme, quam ad suum imperium acerbitatem adjungere:* *Sallust. ad Cæs. d. rep.* II. *Absit Crudelitas.*

Cicero ad Q. fratrē. Quemadmodum enim *indulgentia blanda laxat habenas:* ita, *implacabilis severitas astrictione strangulat.* *Nazianzenus.*

IVSTITIAM exerceat monemus; *quæ adhibenda est Reipub. caussa, sine quâ administrari civitas non potest.* *Cicero l. 1 offic.*

Quod

Triplex data cautio. Quod sine periculo ut fiat, tria hæc observanda.

1. *Moderatio utenda.* Primo, Moderatio: *miscenda autem est lenitas cum severitate, & faciendum ex utraque quoddam temperamentum, ut nec multâ asperitate exulcerentur subditi, nec nimiâ levitate solvantur.* Greg. lib. 20. Moral.

Tu propterea, qui à Deo in alto es positus solio: *Iustian exerceas, sed eâ moderatione temperatam, ut in tyrannidem minimè degeneret.* Iacobus I. R. Brit. l. 2. ad fil.

In arbitrio tuo erit, mansuetudinem cum acerbitate commiscere, vel in agnoscendo vel in ignoscendo, prout delicti gravitas & delinquentis qualitas efflagitarint. Idem ibidem.

2. *Ira excludenda.* Secundò: omnia ad exemplum, non ad ultionem referenda memineris: itaque *Ira maximè probibenda est in puniendo,* Cicero l. 1 offic.

Cum quâ nihil rectè, nihilque consideratè fieri potest. Idem ibidem,

Numquis membra sua odit, tunc cum abscindit? Sen. 1. ira.

Addo, quod *iratus ad pænam qui accedit, numquam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter* Nimium & Parum. Cic. l. 1. off

---- *male cuncta ministrat*
Impetus. Statius.

Optandūq;, *ut ij qui præsunt, legum similes sint: qui ad puniendū non iracundiâ sed æquitate ducantur.* Cicero l. 1 offic.

Tertiò:

Seneca 1. de Clem. Tertiò: & gaudio abstinendum vel magis, omnique eius Nota: *ferina ista rabies est, sanguine ac vulneribus gaudere.* 3. Et gaudiū abigendū.

Et acutè Poëta

Claudia. 4. cōs. Mau. *Qui fruitur pœna, ferus est: legumque videtur Vindictam præstare sibi.*

Ne hæc monita careant exemplo boni Imperatoris, videamus CÆSAREAM, quam diximus, in Debitores Fallitosque CONSTITVTIONEM, die VII. Octobris Bruxellis promulgatam, anno Domini M.D.XXXI.

CAP. XXI.

Constitutio CAROLI QVINTI, *lata olim contra Debitores & Fallitos, nuncque primum è sermone Belgico in Latinum translata.*

CAROLVS DEI GRATIA ROM. IMP. semper AVGVSTVS, &c. Inter alia:

CONTRA Decoctores & Fallitos fugitivos jam olim constituimus, & nunc denuo statuimus, VT omnes mercatores, quà viri, quà fœminæ, cæterique mercimonijs dediti, qui fraudulenter & dolosè auferunt pecunias, merces, aut debita aliorum Mercatorum, homi- EDICTVM Caroli V. Imp. cōtra Fallitos & Bancaruptores.

 numve,

Banchesroutiers. numve, quos *Banccæruptores* appellant, ejusdem cum manifestarijs furibus æstimationis & conditionis habeantur atque putentur, talesque eos hoc Edicto declaravimus, & declaramus.

Similiter eos, qui istos tolerant, suscipiunt, fovent, & silentio patrocinantur. itemque qui fraudum decoctionumque Banccæruptorum conscij sunt, & gnari quò sese locorum proripuerint fugerintve, nisi ad Iudicem aut Præfectum loci eos detulerint, & ubinam lateant indicaverint.

Illos etiam furibus æqui paramus, qui negotia Decoctorum sive Fallitorum dolosè gerunt, cùm absentibus illis merces reciprocant, sive per societatem, sive alium titulum. Denique eos quoque, qui se iactant aut fingunt, Creditores Fallitorum, quo fraus & perfidia eorum dissimuletur, aut confirmetur.

Hos prædictos omnes & singulos privavimus & privamus immunitate, libertate, privilegiisque omnium urbium, municipiorum, pagorum, vicorumque, quotquot jure libertatis gaudent. Concedimus etiam & mandamus, ut Falliti & horum socii, asseclæ, opitulatores, quique jam nominati, & tales esse comperti atque judicati sunt, tum qui fugâ sibi ob alienum

æs consulunt, inque urbes, oppida, vicos, locaque alia, nullis exceptis, sese recipiunt, inde eximantur, & obtorto collo abripiantur. Bona etiam eorum, si quæ eò detulerunt, auferantur; salvis interea privilegiis & libertate urbium, oppidorum, pagorum, locorumque Liberorum, in aliis caussis & casibus.

Vtque Falliti; & eorum opitulatores, quos diximus, quandoquidem tales esse eos constiterit, furum & salutis publicæ violatorum supplicio absque ullâ conniventiâ aut morâ in propatulo afficiantur: ut inde aliis exemplum suppetat. Tum ut bona & facultates à Fallitis, aut ipsorum sociis profecta deponantur & custodiantur loco commodo ad usum emolumentumque creditorum, secundùm æquitatis tenorem. Præterea ut Vxores Mercatorum decoquentium, quæ vel præsente, vel absente marito, negotiationi sese palam immiscuerunt sive in venditionibus, sive emptionibus, teneantur rationem reddere æris alieni, quod contractum est stante matrimonio. Volumus etiam & præcipimus, ut Mercatores omnes tàm viri, quàm fæminæ, qui, quæve dolosè, ut suis Creditoribus decoquerent, è ditione nostrâ fugerunt, & alibi cōmorantur,

intra dies quadraginta post edicti publicationem ad locum domicilij sui, nostræ diocæseos, revertantur, ut Creditoribus inter alios totidem dies ab ipsis satisfiat. Quod nisi intra eos dies fiat, tunc ipsi Falliti, similiterque eorum socij, relegantur in perpetuum è ditione nostrâ & Dominiis, nec unquam ijs reditus permittatur. Insuper contractus omnes simulatè, fallaciter, & dolosè factos, irritos & nullius momenti esse iubemus. Vtque Creditores omnes Fallitorum, sociorum, aliorumque foro cessorum concurrant in dividendis bonis Fallitorum, quæcunque reperiri poterunt, ad expungendum nomen crediti, habitâ tum ratione proportionis crediti, sive iure prælationis. Nec commodo cuiquam Creditori sit, alterum Creditorem antevertisse in arrestandis bonis Falliti, licet idipsum fieret in locis privilegiatis. Nec impediant quenquam Consuetudines, Statuta, aut Iura eius loci, si quæ fortè his adversentur, quæ in prædictis casibus valere nec permittimus, nec volumus: verùm si res postulet, ijs derogatum volumus, per hanc nostram Constitutionem. Actum Bruxellis VII. Octobris, MDXXXI.

Signat. BAVDEWIJNS.

CAP.

CAP. XXII.

Præcedentem CAROLI QVINTI *Constitutionem in Fallitos Debitores rigidam videri non esse: quatuorque id rationibus demonstratum.*

Iustitiæ securis stringẽda, QVid in istâ CÆSARIS *Constitutione* durum? Quid rigidum censeri potest? *Nulla esse potest in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas.* *Cic. 4. in Catil.*

1. Ratio prior est: quia *Improbis pœna statuenda est: Ut quos natura retinere in officio non potest, ij magnitudine pœnæ maleficio submoveantur.* *Cic. in Lælio.* *Ad coercendũ malorum audaciam.* *Cic. pro Roscio Amerino.*

---- quippe quos amor boni
Pudorque famæ non reflectit à probris,
Malo metuque sunt coercendi, velut
Flagris oportet asperis domarier
Validos triones:

Baud. l. 2. Sap. civil.

Et ne scelerum cumulus excrescat, *Improbi & scelerati dignis supplicijs coerceantur.* *Iac. I. R. Brit. l. 3. ad fil.*

2. Hoc pacto statuitur *cæteris exemplum, culpanda fugiendi.* *Alijs in exemplum.* *Boetius l. 4. pr. 4.*

Vnde puniendi Falliti, *non tam ulciscendi caussa, quàm ut & in præsens sceleratos cives* [à decoctione fraudulentâ] *deterreas: & in posterum documentum statuas, nequis talem amentiam velit imitari:* *Cic. ad Brut. 10. Epist. 15.*

 3. Sua-

Propter Regni securitatem. 3. Suadetque id fieri Imperij decus, cui nihil magis obest

—— quàm malos
Impunitatis illecebrâ prosequi. Baud. l. 2. Sap. civil.

Tum enim videntur licita πᾶσι πάντα: *omnia omnibus.* Dio in Nerva.

Tum, *vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur.* Lact. de ira c. 8.

Ista non curasti?

Nec miror esse sceptra qui spernant tua,
Quando ipse pravos lenitate provocas. Buchan. Bap.

Regnat ille, qui gliscentibus malis ocyus medetur, & antequam audacia improborum crescat, pœnis opprimat; *Malos autem homines castigare bonum est,* Eurip. ap. Stob. ser. 46.

Facit [que] *modestiores, iustioresque ipsa pœna: & improbitatis medicina est.* Plato in Georg.

Ob bonorũ tranquillitatem firmandam. 4. Imò pœna ni culpas premat, bonis quid tutelæ relinquetur? ô quanta mala boni perferre cogentur, si sopor iners Principis oculos detineat! *qui de malis pœnas non sumunt, bonos affici volunt iniurijs,* Pyth. apud Stob.

Nocet bonis, quisquis pepercerit malis. Mimus.

Quique paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum ire volunt. Sall. in Catil.

Negle-

Sall. in Iugur. *Neglectis tùm pœnis, bonus tantummodo segnior fit, at malus improbior.*

Parui hoc æstimas? noli: profectò

Baud. l. 2. sap. Civil. *Crudelis est clementia, & nocens tepor*
Servando sontes ire perditum bonos.
Miseratio ista læva miseriam creat,
Pravisque demit civibus metum, probis
Securitatem.

Cic. ad. Br. Ep. 11. Qui igitur vult amari, & felici regnare manu, bonos amet, malos castiget. *Salutaris Severitas vincit inanem speciem Clementiæ.*

Aug. l. 9. Confess. Et, *melius est cum Severitate diligere, quàm cum Lenitate decipere.*

CAP. XXIII.

Ad secundam CAROLI QVINTI *in Fallitos Debitores Constitutionem, succincta præmonitio.*

QVemadmodum CÆSARIS honos in virtute, opes in Iustitia, Gratia in suffragijs, Res familiaris in pace consistit: ita firmitudo Regni eius in legibus sita est: *Hæ* namque *vincula sunt dignitatis, qua fruitur in Republicâ; hæ sunt fundamenta libertatis, hæ fontes Æquitatis. Mens & animus & consilium & sententia* [Regni] *posita est in legibus;* — *Cæsaris est ferre leges.* — Cic. pro Cluentio.

Nam

Nam *ad salutem civium, civitatumque incolumitatem conditæ sunt,* Id. l. 1. de legib.

Et, *ad humanam societatem tuendam, & ad benè beateque vivendum, ordinatæ;* Iacob. I. Brit. R. l. 2. ad fil.

In quibus, infirmiorũ auxilia, malorum frena.

Adeò ut corpora sine mente, suis partibus nervis ac sanguine & membris uti non possunt: sic neque Imperator Regno suo, si à legibus discedat. Verissimum propterea illud Philosophi, Ἐν τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως: *in legibus salus civitatis sita est.* Aristot. Rhet. 1. c. 3.

Habuit hoc magnificum & ingens, CAROLUS QUINTUS, quòd legum severitate Imperium stabiliverit, tum vel maximè, cùm eo regnante pestilens decoctoriæ defraudationis sidus multorum animos afflavisset: nam laudabilem Constitutionem in Fallitos Debitores renovavit, confirmavitque Edicto perpetuo, quod Bruxellæ, se, Ordinibusque præsentibus IV. die Octobris anno Domini MDXL. promulgatum est. In eoque sancitum ab ipso Cæsare, ut Debitores *si anteissent delicta, pœnæ sequerentur.* Edictum Brux. promulgatum die 4. Oct. an. 1540. Tac. lib. 3. ann.

Quà notâ Cæsar noster magnus.

Hac autem viâ voluit *munire communem arcem bonorum,* Cic. pro Sylla.

Et, *obstruere perfugia improborum,* Id. ibid.

qui mille fallendi artibus per cuniculos subvertũt alios. Baud. de fænore.

Qui bonorũ fautor, malorum ultor.

Quæ

Quæ adorea Cæsari maior, quàm coercere malos, & *non pati ullam ex civibus prædam esse;* *Sall. in Orat. Lep.*

Atque *omni studio, virtute, auctoritate incumbere ad Rempublicam conservandam?* *Cic. pro Sylla.*

Baud. l. 4. Sap. civil.

Nil melius alta Cæsaris indoles habet,
Quàm velle; maius nil suprema dignitas,
Quàm posse læsis subvenire gentibus,
Prodesse mundo, servitute, iniuriâ *Isteque bonos præstat triumphis.*
Levare pressos, utque sit conspectior
Laurus triumphi quàm corona civica.
Servare civem: dignior viro tamen
Laus æstimari debet, atque omni prius
Honore nomen Patriæ inscribi Pater.

CAP. XXIV.

Edictum perpetuum CAROLI QVINTI, *contra Fallitos Debitores, Bruxellæ publicatum, & ipso Cæsare, illustrissimaque Regina Provinciarum inferiorum Gubernatrice, Ordinibusque coram promulgatum* IV *die Octob. an. Domini* MDXL. *Latinè, quam propriissimè fieri potuit, ita redditum.*

G CARO-

CAROLVS DEI GRATIA ROM. IMP. SEMPER AVGVSTVS, &c.

II.

Articulus secundus.

QVoniam ex varijs mundi partibus ad nostras Provincias ingens Mercatorum numerus quotidie commeat in bonum nostrarum Provinciarum, atque in commodum utilitatemque subditorum: Volumus propterea in hisce nostris Provincijs liberum prædictę mercaturæ, vigere exercitium; ideoque anno xxxi proximè elapso constitutiones atque Edictæ quædam promulgavimus contra Fallitos Debitores atque fugitivos, qui fallaciter & dolo se avehunt atque asportanr pecunias mercesque à peregrinis mercatoribus alijsque viris honestis & probatis, quibus iusta est ignorantia fraudium istorum Fallitorum, Debitorum & Cessorum. Quibus autem Sanctionibus nostris nec vis neque vigor hactenus fuit, quemadmodum fuerat æquum, ac prout necessitas requirebat. Præterea quod quidam eò audaciæ progressi sunt ut Sanctiones nostras glossematis

matis suis explicare atque interpretari non verentur, longè aliter quàm par fuerat, in rem scilicet atque commodum Fallitorum & fugitivorum. Cum ergo huic malo occurrere vellemus, jussimus atque statuimus, jubemus & statuimus denuo, ut omnes isti Mercatores & mercantes fœminæ, aliijque prȩterea Debitores cuiuscunque conditionis statusve sint, qui solito loco habitationis suæ cedunt, nondum ære alieno dissoluto, nec subductis cum creditoribus suis rationibus, & clàm facultates suas transferunt, aut reticent, ut creditores fallant, uti tales dicantur & habeantur Fures Manifestarij, & velut prædones Hostesque publicȩ salutis. Et tales quidem huiusmodi esse & haberi sanximus & sancimus. Mandantes singulis Iudicibus nostris atque Prȩfectis, ut eos invadant & apprehendant, ubicunque locorum eos invenerint, nec ullus sit illis usus, aut jus privilegii, libertatisvè, cuiuscunque autem sit generis. Et ubi apprehenderint eos, ut cum illis agant strictè sine forma aut modo ordinarii iudicii; utque Iudices apud quos accasabuntur aut arguentur istius facinoris, si de fuga, fallaci ablatione, aut suppressione bonorum eorum constiterit, *ad laqueum eos condemnent sine dilatio-*

ne, favore aut dissimulatione, sub pœna solutionis totius Fallitorum aut fugitivorum debiti, quæ ab ipsis Præfectis & Iudicibus nostris exigetur seriò & strictè, si negligentes aut volentes inventi fuerint, in hoc nostro Mandato exequendo.

MONITUM AD LECTOREM.

Benigne Lector, quæ deinceps continentur in eodem Articulo Edicti perpetui, deinde in tertio atque in quarto, non gravarer commemorare, modò ista atque eadem non essent, quę aliis verbis posita sunt in Constitutione prima CAROLI QVINTI; quod ut liqueat, brevitatis ergó, eorum summulas paucis apponemus.

II.

Sequentibus secundi Articulis verbis, pœna constituitur iis, qui Fallitis opitulantur, operamque navant, ut aut evadant ipsi, aut eorum bona transportentur.

III.

Articulus tertius, irritos facit contractus omnes cum Fallitis sive Bancc ęruptoribus initos, eosque à Iudice confirmari vetat.

Quartus;

IV.

Quartus Officiales cogit depræhensos Fallitos suspendio punire, licet post Cessionem Creditoribus satisfecerint.

V.

Quia vero quintus cum sexto Articulo, planè ad nostrum rem facit, integrè eos exponemus.

Articulus quintus.

Prohibemus Iudices atque Officiales omnium ordinum & cuiuscunque conditionis sint, salvum conductum, immunitatem aut libertatem Fallitis, in fraudem & iacturam creditorum largiri; sed ut iis manus iniiciant quotiescunque eâ de re aliquis creditor abierit, atque detineat eos, donec satisdederint, se in iudicio comparituros & iudicatum soluturos, idque sub pœnâ solutionis ab istis Iudicibus exigendæ, si officiò suo & voluntati nostræ defuerint.

Articulus sextus.

Quoniam multi Mercatorum eò progrediuntur, ut multas donationes & immodicas dotes, & lucra constituant uxoribus, in bonis

ſuis, cùm ut matrimonium captent tùm ut conſulant facultatibus ſuis conſervandis per uxores, aut liberos ſuos: Deinde verò comperiuntur non eſſe ſolvendo ære alieno, & tamen volunt coniuges ſive viduas ſuas præferri omnibus Creditoribus; quæ res cedit in ſummum detrimentum Mercaturę: volumus & conſtituimus, ne eiuſmodi fœminis quę poſthac matrimonium contrahere cum mercatoribus deſtinant, liceat pręcendere, habere, aut accipere quicquam donorum, aliuſve lucri ex bonis Maritorum, aut venire in communionem bonorum acquiſitorum per viros ac ſtante matrimonio, licet uſus fructus illis datus fuerit, quos hac in parte pręferri voluimus uxoribus & viduis; ſalvo tamen earum iure & pręrogativâ in bonis Dotalibus, ijſque quę ad eas ex hęreditatibus aut Teſtamentis cognatorum & amicorum devoluta ſunt.

Signatum

VERREYCKEN.

CAP.

CAP. XXV.

In præcedenti CÆSARIS *Edicto, nihil crudeliter sancitum esse.*

Sallust. SCimus, *maximo Imperio maximam curam inesse.* Hanc sibi bonus Imperator feliciter suscipit, *ubi habet in consilio Legem, Religionem, Æquitatem, Fidem: Libidinem autem, Odium, Invidiam, Metum, Cupiditatesque omnes* [legum Constitutionibus] *amovere & e suis propulsare studeat.* Scopus qui fuerit Cæsari. Cic. pro Cluent.

Quâ in re, cùm vigilantia Imperatoris nostri CAROLI QVINTI (iuxta Edictum suum) emicuerit, quid crudelitatis incusari potest? LAQVEO, inquies, vult tolli miseros & non solvendo Debitores. Verba quidem legi & memini, at non legi nec memini pœnam istam *magis unquam in usu fuisse, quàm fuit illa lex horrendi carminis, qua Decemviri concedebant creditoribus, ut Debitoris, qui non esset solvendo partes secarent.* Bau. cent. 2. Epi. 14

Cic. in ad At. Epist. 1 Minatur CÆSAR exsecare, *ut sanare possit vitiosas partes.*

Hominum enim ingenia interdum remedijs asperis experienda *& more medicorum venena venenis procuranda, qui enim aliter fiat in corpore* Scilicet imperatur pœna, ut impetretur correctio. Baud. lib. de fœnore.

tam

tam ægro, tam exulcerato, ac penè depositæ salutis?

Grassantibus vitijs valentior ad obtinendum quod velis, nonunquam est timor pœnæ quàm lenis amor. Hic autem malis illecebra est ad pravitatem, fiuntque deteriores, &

Quicquid illis unquam inciderit in mentum volunt: neque id Schon. in Saulo.
Cogitabunt pravum, aut rectum, æquum an iniquum siet
Quodcunque libuerit, id sibi licere protinus
Arbitrantur homines iniquissimi,

Atque impunitate (quam lenis amor comitatur) non tantùm exultant, verum etiam ex culpâ messem auream metunt, atque ut ait Satyricus

--- *animos à crimine sumunt.* Iuvenal.

Non sæpè minando magis, quã agẽdo proficitur.

E contrà: Minus propendet malis, pœnarum cinctis indagine, ad veteratorias frustrationes animus, deficitque paulatim eorum audacia; adeo ut tandem *terrore veneratio acquiratur.* Plin. l. 8. Epist.

Prout vulgi natura est.

Præsertim apud eos, quorum ingenia sunt veluti *equi parum nobiles & generosi: qui melius duro quàm facili fræno reguntur.* Sen. 1. de Clem.

Quocirca inter Reipub: administratores cum CÆSARE nostro, prudens dicendus, qui mala

August. Epist. 65. mala quæ subditorum sensibus insident, *tollit, non tantum docendo, sed etiam iubendo, non tantùm monendo, sed & minando.*

Hoc modo, non vastantur, sed corriguntur civitatates.

EDICTA PERPETVA, REGVM GALLIÆ. in Fallitos ac Debitores fraudulentos.

CAP. XXVI.

Officium REGVM *esse, Iustitiam exercere.*

DIxi, quæ mihi de jure Cæsareo in Fallitos Debitores dicenda erant: Prudentiam REGVM GALLIÆ in obviandis tollendisque istiusmodi malis, ordior. Cùm REGNI munere hoc enim munus REGIBVS unà datum, si originem sceptri repetas, *Regij est muneris ius dicere*

Sen. in Medea.
Prodesse miseris: supplices fido lare
Protegere,

Ac sedulò prospicere,

Sen. in Thyest.
Ut nemo doceat fraudes, & sceleris viam.

Bene Musarum filius

Hesiod. Theog.
Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς

H Βλαπτο-

βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι:

Hac una Reges olim sunt fine creati,
Dicere ius populis, iniustaque tollere facta,

Quo in officio si Rex obliviosus hæreat, non sine peste & pernicie id poterit subditorum: videat enim quibus imperitet, non angelis, *at hominibus se præesse cogitet,* Plin. Paneg.

1. Ratio prior.

Qui, πεφύκασί τε ἅπαντες, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν, καὶ οὐκ ἔστι νόμος ὅστις ἀπείρξει τούτου: *nati omnes peccare & labi sunt, quâ privatim, quâ publicè; neque lex est quæ satis validè vetet, aut capiat modum.* Thuc. l. 4.

Ad quod si Regis socordia, legumque rubigo accedant, *flagitia tùm & facinora sine modo sunt.* Tac. 3. an.

2. Ratio posterior.

Deinde cogitandum Regi, à quo ad tantum regimen sit evectus. Recte clamat ille: Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: *ex Iove sunt reges.* Callimach.

Aliusque inculcat --- διοτρεφέας βασιλῆας: *à Iove educatos Reges.* Homuser.

Videte idcirco REGES, *quid sitis facturi: non enim pro homine iudicaturi estis: sed pro Iehova: qui vobiscum futurus est in rebus iudiciarijs.* 2. Chro. c. 19. 6.

Quare nunc insit pavor Iehovæ vobis, observate ut faciatis: non enim est apud Iehovam Deum nostrum iniquitas, aut acceptio personarum, aut sumptio Vers. 7.

muneris

Pro.29. v.4. *muneris.* REX *iudicio stabilit regionem.*

Et ut concludam: ille mihi

Homerus Iliad. β. ----- εἷς κοίρανος ἔστω,

Εἷς βασιλεύς.

----- *Herus unicus esto*

Vnicus & Rex, *Insignis nota optimi Regis.*

Iacob. I. Brit. R. l. 2. Reg. Inst. *Qui summo honori sibi ducit, rectè probèque munus suum administrare: omnes suos labores, studia, conatus eò intendere, ut Reipub. salus procuretur, ut leges bonæ promulgentur, ut populi quies, tranquillitasque conservetur:*

Auson. in Monosyl. Qui *rectè faciet, non qui dominatur, erit* REX.

CAP. XXVII.

FRANCISCI PRIMI *Regis Galliæ, in legibus ferendis prudentia laudata.*

REGII huius muneris, in administrando Regno, subiectisque benè gubernandis, exemplum præclarum habemus in GALLIÆ Rege FRANCISCO eius nominis PRIMO. Qui deprehendens, magno cum opprobrio Christiani nominis & detrimento communis societatis, quorundam mercatorum pravitates in defraudandis alijs, adolescere; *Regis est leges sancire.*

Baud. l. 3. Sap. civil. *His tot mederi Rex voluit incommodis:*

Necessitate urgente. Atque (*ut leges cum iudicio, & pro temporum necessitate, ut nova quæque corruptela in rempublicam irrepserit, condendæ sunt.*) Iac. I. R. Brit. Inst. Reg. ad fil.

Ita hic REX quàm prudentissimè ex malis subditorum moribus, bonam legem tulit, *Edictumque perpetuum ac irrevocabile* condidit, quo citissimè fieri potuit

In bonum publicum. ---- *horum audaciam*
Refrænaret, insolentiam retunderet, Schon. in Saulo.
Impietatem puniret.

Quod Edictum è Gallico sermone Latinè expressum sic habeto.

CAP. XXVIII.

Edictum perpetuum FRANCISCI PRIMI Regis Galliæ:

Sancitum anno MDXXXVI. *iubensque, in Fallitos Debitores in posterùm extra ordinem inquisitum iri.*

FRANCISCUS &c. Quandoquidem commercium, negotiatio & contractus magnoperè conducat ad commodum & utilitatem Reipublicæ & subditorum Regni nostri, regionum ac Dominorum, ac præsertim in

in almâ noſtrâ civitate Lugdunenſi, in quâ quatuor nundinæ conſtitutæ ſunt, quibus affluunt & conveniunt multi mercatores, trapezitæ, & alij cujuſvis generis mercimonijs negotiantes; ad quas nundinas & commercia conſervanda plurimi intereſt, ut fides & pacta inter mercatores ultro citroq; facta vel facienda ſerventur ac præſtentur: quod non rarò neglectum fuit; unde ſubditis noſtris alijſque negotiatoribus eas nundinas frequentantibus, non pauca nec exigua acciderunt, & indies accidunt damna & iacturæ ob frequentes quæ evenerunt & eveniunt Fallimenta ſive Banccæruptiones, & Creditores qui acceptâ Debitorum fide & promiſſis merces ipſis concrediderunt, debitis ac creditis ſuis defraudati atque exuti ſunt; atque ut nequitiam & fraudem tegant, & debiti ſolutionem differant & protrahant, atque ut à neceſſitate debitorum in ſolidum perſolvendorum ſe expediant, exiguam duntaxat eorum partem pendunt, ad Templa, cæmeteria, aliaque loca ſacra confugiunt ſpe carceris evadendi, evocant creditores ſuos, aut partem eorum, deſcriptionem bonorum facientes, cui dum inſiſtitur dumque inter ſe diſceptant creditores de priore ac poſteriore

ius eius erit cognitio, poſtquam de eiuſmodi promiſſis & obligationibus conſtiterit, ipſi debitores à Templis & locis ſacris, ad quæ confugerint, abſtrahantur, & in cuſtodiam conijciantur, donec ad aſſem perſolverint, niſi ut in integrum reſtituanrur, ſi dictum fuerit, fieri oportere.

1. Volumus & iubemus ut dicti debitores ad perſolutionem debitorum adigantur omnibus modis, prehenſione, manuum iniectione, venditione & diſtractione præſentaneâ bonorum mobilium & immobilium, nominum ac debitorum, nullo pacto receptis aut admiſſis deſcriptionibus & iudicationibus facultatum ſuarum: quas quidem, & quaſcunque denique inſtantias ijdem Debitores ad hoc intentare & formare poſtulent, omnes de hinc ut & tum irritas ac nullius momenti pronunciamus.

2. Quantum autem ad diſceptationes quoad ordinem ac diſcuſſionem priorem ac poſteriorem locum & privilegia inter creditores & proportionatam diſtributionem, volumus, decernimus & mandamus Iudicibus, quorum eius erit cognoſcere, ut rem compendio tranſigant, ſolâ facti veritate inſpectâ, ſicut

fieri

fieri oportet in caussis & negotiis, quæ inter mercatores agitantur.

3, Volumus adhæc & decernimus ut in eiusmodi Fallitos extra ordinem inquiratur quæstionibus, citationibus testium, coram compositionibus, alijsque extra ordinem actionibus, quoad fraudes ab ipsis commissas, quique eorum negotia tractant vel ijs immiscentur, ipsorum vivendi rationem & acta tum præcedentia, tum subsequentia, tempus, quo defecerint ac foro cesserint, damna & dispendia quibus affecerint eos quibus cum negotia habuerint, utque procedatur ad pœnam & noxæ expiationem per ignominiosam traductionem, corporalem pœnam, applicationem ad collare & numellas publicas, aliasque pœnas pro Iustitię arbitratu. Ac debitorum civilium & litis æstimatione collectâ, Volumus ac decernimus ut ijdem debitores qui foro cesserint in clauso carcere detineantûr, usque ad plenam & integram mulctarum persolutionem, tum nobis, tum etiam actoribus, atque adiudicationum summæ ac impensarum rationibus subductis, ut dictum est. Mandamusque adeò hoc diplomate, Præfecto iuridico civitatis Lugdunensis, aut vicario ipsius Iudici

Iudici ac Vindici nundinarum eiusdem civitatis, &c. Datum Lugduni, die decimo Octobris, anno à partu Virginis cIↄ Iↄ XXXVI. & Regni nostri, vigesimo secundo.

Ita signatum regijs auspicijs,

BOCHELET.

CAP. XXIX.

Examen Edicti precedentis: ita eoq; fines duo demonstrati.

Arist. 4. Eth. c. 5. CVm (teste Aristotele) φρονίμους οἰόμεθα εἶναι, οἳ τὰ αὑτοῖς ἀγαθὰ, καὶ τὰ τοῖς ἀνθρώποις δύνανται θεωρεῖν: *prudentes censemus, qui ea quæ sibi quæque hominibus conducunt, possunt dispicere.* Imago prudetis Regis

Plat. Alc. II. Quin quoque cum Platone Regem φρόνιμόν γε φήσομεν, ἀποχρῶντα ξύμβουλον καὶ αὐτὸν αὑτῷ, καὶ τῇ πόλει: *prudentem dicemus sibi & Reipub. consulentem, potentem ac validum:*

Isid. l. de sum. bono. *Reges* enim à *rectè agendo* vocati sunt, Rectè ergo *illi Reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subiectos benè regendo, modificare noverunt.*

In Rege Galliæ Francis. I. Quo honoris titulo REX GALLIÆ fælicis memoriæ FRANCISCVS PRIMVS non caruit; testaturque id, hoc suum (de quo antè)

Claud. ad Honor.

Non sic excubiæ nec circumstantia tela
Quam tutatur amor.

II. REGNO tum suo REGEM voluisse prospicere & subditis consuluisse liquet, si alterum Edicti finem spectemus, qui hic fuit: Tuta conditio subiectorum, ac libera mercatorum negotiatio; quæ firmissima est, *ubi vivitur sub æquitate:* II. *Suis pro fuit.*

Cass. l. 3. Epist.

Tum enim ea *opibus firma, copijs locoples, gloria ampla, virtute honesta est*

Cic. 5. de repub.

Tumque inter populares vigent

Horat. l. 1 od. 24.

---- *Iustitiæ soror*
Incorrupta fides, nudaque veritas.

Quæ omnia REX bonus spectare debet: Nam *qui Reipublicæ statum* [regniqúe] *generale cupit sture fastigium, ad universa debet esse sollicitus: quia non est salus in corpore, nisi quam & membra potuerunt obtinere.* *Ad universa sollicitus.*

Cass l. 3. Epist.

Vnde sapiẽtissimè à Philosopho profectũ illud: ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελεῖται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσι : *Rex eligitur, non ut sese molliter curet, sed ut per ipsum ij qui elegerunt benè beateque agant.*

Xenop. in mem. Soc. l. 3.

In quem scopum dum hic FRANCISCVS PRIMVS Galliæ Rex collimaverit, ideò *Regi æterna gloria ab hac viâ.* *Qua re gloriam comparavit*

Lip. l. 2. Polit.

CAP. XXX.

CAROLI NONI, REGIS GALLIÆ ſtatutum, *in Fallitos Debitores.*

Regis vigilantia quantum proſit regni ſubditis.

PRINCIPIS magnitudo non minus eſt laudata quàm fundata, quando ſtimulatio privata abeſt, publicumque curat: Verus enim bonuſque Rex, propriâ utilitate neglectâ, bonum commune curat indefeſſe, eoque intendit ac vigilat, ut *omnium ſomnos vigilantia ſua defendat, omnium otium ſuus labor, omnium delicias ſua induſtria, omnium vacationem ſua occupatio.* *Sen. Conſ. ad Polyb.*

Nec *aliter officio* [Rex] *fungitur quàm dum utilitati hominum conſulit.* *Cic. l. 3. offic.*

Quo nomine, piæ memoriæ CAROLVS NONVS *Rex Galliæ,* celeberrimus, quique de ſe merito illud fateri potuiſſet,

Ea fuit in Rege, Carolo IX.

> *Ego ille ſum, qui ſcelera committi vetem:* *Auct. The.*
> *Ego ſum magiſter iuris ac moris probi.*

Nam cùm multa inter ſubditos vitia deprehenderet, & in foro inter commerciorum tractationes multum concîtum turbarum inaudiret à defraudatoribus & Fallitis, *penes quos* *Liv. l. 28.*
auctores,

auctores, caussa atque origo omnis furoris est, reliquique contagione insaniunt.

In tempore voluit mederi, ad consulendum Reipub. simulque dignitati regiæ, quia noluit

Thuc. 5. ἀπὸ τ̃ ξυμφορῶν διαβάλλεσθαι: *malè audire ob damna aliorum.*

Huius ideò *Regis Statutum* erga Fallitos in Decretis Aurelianis tale fertur art. CXLIII, anno CIƆ IƆ LX.

Carolus nonus.

IN OMNES BANCCAERVPTORES QVI FRAVDVLENTA RATIONE FORVM DESERVNT, INQVIRETVR EXTRA ORDINEM, ET CAPITALITER. *Qui in fraudatores animadvertit.*

In facta Bancсæruptorum sive Fallitorum

Sen. de Clem. 1. Rex vult primo INQVIRI; virtus hæc Iudici convenientissima, *sed nullum tamen ex omnibus magis, quàm regem aut Principem decet.* *Attentè.*

Cui probè semper cognoscendæ & expli-

Augu. de civit. Dei l. 19. candæ sunt res omnes, *ne ignorantia* [Regis] *calamitas sit innocentis.*

In quem finem, optimè Syracides hortatur: *priusquam perquisiveris, ne crimineris, cognosce pri-*

Syrac. c. 11 vers. 7. *mùm, atque tum increpa.*

Diligenter — Vtilius quod ab eo fiet, si moram omnem abrumpat, in quâ periculum

Cùm scelera, dempto fine, per cunctas domos Iëre. — Sen. Hipp.

In properantiâ maius decus: quia *oportet Regem iniuriâ affectis* [citò] *auxiliari.* — Arist. Rhet. ad Alex.

Qui non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat. — Cic. l. 1. offic.

A Regibus id quoque teneatur: *qui iniuncta Imperij munera impigrè obeunt, si curent ut vis & iniuriæ absint quàm citissimè.* — Tac. Agric.

Capitaliter — 2. Deinde vult Rex inquiri CAPITALITER. rectè: *quis enim eum metuat, apud quem conditum imò constrictum ferrum est?* — Sen. 2. de Clem.

Istaq; potestas à Deo Regi data. — Haud temerè REGEM gladio armavit Deus, sed *ut sit ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit.* — Rom. 13. v. 4.

Gladius idcircò utendens, *quoties id fieri publica utilitas suadebit.* — Sen. 1. de Clem.

Malè tamen si ad vindictam sui: *omnis* [enim] *animadversio debet non ad eius qui punit, sed ad Reipub: utilitatem referri.* — Cic. l. 1. offic.

Quem finem REGES spectantes cùm puniunt, non sævitiâ uti dicendi sunt sed justitiâ, quâ sibi decus & gloriam pariunt.

CAP.

CAP. XXXI.

HENRICI TERTII, REGIS GALLIÆ Edictum, *in Fallitos Debitores.*

MAgnam pestem regno adfert, gliscens in impunitis ingenijs; audacia ad defraudandum. Tolle inter subditos fidem, tollis felicem imperij statum, *omnisque imperij contextus in multas partes dissiliet.*

Fraude regnũ ruit.

Sen. de Clem. 1.

---- subversa iacebit
Tristina maiestas soliorum, & sceptra superba.

Lucr. 5.

Iustitia & æquitate stant regna, urbes Respublicæ. *ego ita comperi, omnia regna, civitates, nationes usque eò prosperum imperium habuisse, dum apud eos* [fides, justitiaque] *valuerunt. ubicunque* [perfidia, fraus, imposturæ] *ea corrupére, post paullò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò servitus imposita est.*

Sall. ad Cæsar.

Ideoque ab omnibus dicendus

---- βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Rex bonus & bonus Induperator,

Hom. Iliad γ'.

Qui providet, inter suos, *ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid fallaciter agatur.*

Cic. l. 3. offic.

Legibus severis vincitur.

Quique

omnia antiquæ consuetudinis momenta servanda,

Ita neque REX commutare voluit ea quæ laudabiliter super Fallitorum Debitorum actionibus, à suis antecessoribus & Regibus benè

Lip. in pol rectèque iussa erant, *ad tenendam constantem imperij formam imo & veteri tenore fluentem.*

1. Hinc primò iubet ut DECRETA ADVERSVS BANCCÆRVPTORES, vim, vitamque suam retineant, benè id quidem: nam cum *Alcibiade* censeo, τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τούτους οἰκεῖν, οἳ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι καὶ νόμοις (. .) ἥκιστα διαφόρως πολιτεύουσι. *Eos hominum tutissimè agere, qui præsentibus moribus legibusque (. .) (minimum variantes) Rempub. administrant.* — *Quarum observatio necessaria.* — Apud Thuc. l. 6.

Si non me, saltem Augustum audi: qui sic olim ad Senatum. Τοὺς κειμένους νόμους ἰσχυρῶς φυλάττετε, καὶ μηδένα αὐτῶν μεταβάλητε. τὰ γὰρ ἐν ταυτῷ μένοντα, (. .) συμφορώτερα τῶν ἀεὶ καινοτομουμένων, κἂν βελτίω εἶναι δοκῇ, ἐστίν: *positas semel leges constanter servate, nec ullam earum immutate. Nam quæ in suo statu, eademque manent (. .) utiliora sunt reipub. his quæ per innovationem vel meliora inducuntur.* — *Veteres vero sunt optimæ.* — Apud Dio. 52.

3. Vult prætereaRex, EA ARCTE OBSERVARI: prudenter & hoc:

Baud. l. 2. Sap. civil.

> ---- *nam quid horrendas iuvat*
> *Sancire leges, quæ velut rubigne*

K Con-

Constrictus ensis, aut inusu torpeant,
Aut despicatu?

Leges carentes executione, sunt instar campanæ pistillo carentis. *Iohan. à Munst. in Epist. ded. de aliâ Pascasii.*

Valor, vigorque legibus suus est semper tribuendus.

3. Quem vigorem Rex hic desiderans, cupit insuper EIVSMODI DECEPTIONES EXTRA ORDINEM ET EXEMPLARITER PVNIANTVR. *Earumque respectus, in executione.*

Pœna opportunè debet adhiberi, *quo cæteris quies.* *Tacit. l. 11. ann.*

Cæsaris effatum est: ἡ ἐξουσία μετριάσασα πάντα τὰ κτηθέντα τηρεῖ: *potentia mediocriter exercita, omnia quæsita conservat.* *Apud Dio. l. 42*

1. Conservat, quia hæc malis infligit metum; est autem genus Hominum ita natum οὐκ αἰδοῖ πειθαρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ: οὐδ᾽ ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων διὰ τὸ αἰσχρὸν, ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας: *non ut pudori obsequatur sed ut metui: nec ut abstineat à pravis ob turpitudinem, sed ob supplicia & pœnam.* *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* *Arist. l. 10 Eth. c. ultimo.*

Quamobrem, *plectuntur quidam, quò cæteri corrigantur: tormenta paucorum, exempla sunt omnium.* *Cypr. de lapsis Ser. 5*

Id quod suo eleganti responso COTYS *rex Thracum* innuit, qui (cuidam severitatem eius increpanti) respondit ἡ ἐμὴ μανία τοὺς ἀρχομένους *Plutar. in Apoph.*

σώφρονας

τοὺς φρενας μοῦ: Meus hic furor subditos sanos reddit.

Verissimum istud est, quia adhibetur, *non tam ut ipsi pereant, quàm ut alios pereundo deterreant.*

Sen. 1. de Ira.

2. Hinc quoque Regno stabilitas: quæ firmior quando *per segnitiem* REX *non patitur hebescere aciem suæ auctoritatis,*

Cic. 1. in Cat.

Auctoritas Regis, augetur.

Quæ à Deo cælitus in eum transfusa est, *ad ultionem maleficiorum, tum ad laudem rectè agentium.*

2. Petr. 2. 2. 14.

Quando itaque multi ita sceleribus ac perturbationibus suis sunt mancipati, ut vel sermone efficacissimo à facinorosâ vita traduci non possint, ne ipsi diutius verecundia æquitatisque omnis fineis transeant, pœna posse & debere flecti à turpitudine vitæ, Regia satis monstrat potestas.

CAP. XXXII.

De HENRICI QVARTI

Regis Galliæ & Navarræ

prudenti regni administratione, digna commemaratio.

PRout ille dixit, *artem vivendi esse Prudentiam, ut medicinam valetudinis:*

Cic. 5. de finib.

Prudentia necessaria, maximè Regi.

 Sic

Sic & mihi: ἡ φρόνησις, ἄρχοντ☉ ἴδι☉ ἀρετὴ μόνη, *prudentia, Imperantis propria & unica virtus:* Arist. 3. Polit.

Nam (ut Plato verè ait) ἡ φρόνησις μόνον ἡγεῖται τοῦ ὀρθῶς πράττειν: *prudentia sola præit, & ducit ad rectè faciendum.* Plato in Menon.

Hæc est quæ præsentia ordinat, futura providet, præterita recordatur. Auct. l. 4. Virt.

Imò hæc ὄμμα τῆς ψυχῆς: *oculus animæ.* Arist.

Fallere non vult, & falli non potest. Auct. l. 4. Virt.

Hac adveniunt πολλοὶ βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ πολλὰ ὦτα: *multi Regi oculi, & multæ aures.* Xenop. 8. Pæd.

Quæ cito audiunt, & citò vident, id, *quod facto est opus,* Plaut. Amph.

Iuvantque ad sagaciter consulendum *de ijs rebus quæ ad officium imperij, atque ad aliquam partem Reipub. pertinent.* Cic. ad Q. frat. Ep. 1. l. 1.

Ea in Rege Galliæ & Navarræ.

Huius PRVDENTIÆ velamine insignis, præclarissimè emicuit, & super alios eminuit HENRICVS QVARTVS *Galliæ & Navarræ Rex*, augustæ piæque memoriæ; qui in capessendo GALLIÆ Regno, omnia prudentissimè rexit, & *in tantis honoribus, quid debuerit cogitavit, consuluit omnibus, mederi incommodis hominum non intermisit, providit saluti suorum, seque* PARENTEM GALLIÆ *dici & haberi meritò ostendit:* Cic. 1. 8. Ep. 1. ad Q. fr.

Qui Galliæ parens verus.

Ipse enim quàm vigilantissimè *in hanc partem*

exeu-

Iac. I. R. Brit. in praef. Inst. Reg. ad fil. *excubavit nequid* [scilicet] *vitij, aut morum labeculæ in suam Imperij formam irreperet, quin dignitatis & conscientiæ suæ sartæ tectæ conservandæ gratia, flagrantiore desiderio* [quàm cęteri] *exarsit, omnes illas sordes expurgandi, &* [regnum] *pristino suo nitori restituendi.*

Hor. l. 4. od. 15.

---- & vaganti frena licentiæ
Iniecit, amovitque culpas
Et veteres revocavit arteis.

Sen. 1. de Clem. Id quod *prodesse famæ suæ potuit;*

Licet quidem *nullus totius orbis terrarum Princeps reperiatur, qui generis splendore, & Regali Proavorum prosapiâ* [ipsi] *præluceat,* (Iac. I. R. Brit. l. 2. in Inst. Reg) (Cuiusque remotos fama per populos means diffusa.)

Nihil tamen ei gloriosius, quàm quòd consuluerit id quod in rem suorum subditorum erat: *Principis autem opinionem* [& famam] *longè lateque disseminat subiectorum custodita securitas.* (Cass. l. 3. Epist.)

Baud. l. 2. sap. civil.

---- non habet maius bonum
Fortuna Regum, quàm salutem plurimis
Quòd fas habent donare, quod lethi metu
Levare cives: hæc adorea, hic honos
Præstat triumphis, omnibusque laureis.

Quapropter huius Regis HENRICI QVARTI Edictum Regium videamus. quod cum in Fallitos Debitores & Cessionarios statuerit, inde constat abundè, quomodo *toto animo &*

mo & studio omni in eam rationem incubuerit, ut eos quos suæ fidei potestatique Deus comiserat & crediderat, diligeret, omnique ratione tueretur. Cic. ad Q. frat.

Latinitate Gallicum istud Edictum donatum, sic habetote.

CAP. XXXIII.

HENRICI QVARTI,

REGIS GALLIAE ET NAVARRAE.

Constitutio, sive Edictum Regium in Fallitos & Cessionarios, Decreto supremæ Curiæ interposito, sancitum die IV *Iunij an. Domini* M. DC. IX.

HENRICVS DEI GRATIA, GALLIAE ET NAVARRAE REX *omnibus qui sunt, quique venturi sunt, salutem.*

Cùm adversus corruptelas & crimina frequentiora, quæ morum perversio, ex licentiâ pristinarum turbarum enata, invexit: remedium adferre institueremus, & Iustitiam in hoc nostro Regno in pristinam auctoritatem splendoremque restituere, ut sub eius ductu ac præsidio subditi nostri in officio placidè continerentur: animadvertimus interea, quibus celeriter nobis est occurrendum, in primis esse nequi-

quitiam ac fallaciam eminentem, quæ ſub nomine ac prætextu Banccæruptionis magno cum pauperculárum viduarum & orphanorum, aliorumque bonorum Regni noſtri ſubditorum detrimento factitatur. Quod crimen, quum ob impunitatem magis magiſque indies increbreſcat, ac iam in conſuetudinem abeat, in cauſſa eſt, ut publica fides, fiduciaque inter ſubditos noſtros non parum imminuta ac labefactata ſit, & commercium atque negotiatio pene ſublata. Ac quoniam in Bancceruptores ſine Fallitos partim olim pœnarum ab antiquis Regibus Maioribus noſtris ſit conſtitutum, quum ſub Imperiis ipſorum perfidia, morumque corruptio non eo uſque adhuc in ſuorum, hominum corda prolapſa eſſet: Rex FRANCISCVS, PRIMVS eius nominis Dominus ac propatruus noſter pia memoria colendus, certis quibuſdam indicationibus Lugduni acceptis decrevit anno Domini MDXXXVI, ut in Fallitos malo dolo deſciſcentes ipſorum Inſtitores, negotiorumque procuratores inquiſitionibus & teſtium collationibus aliiſque vijs ac rationibus inquiretur, & fraude detecta de reis ſumerentur pœnæ corporales irrogatis mulctis honorarijs, & ſatisfactoriis partiũ offenſarum,

ac

ac noxas jure persequentium applicatione ignominiosa ad collare seu numellas publicas, aut alia quæcunqne stigmatica traductione, prout in jure administrando fuerit arbitratum, atque asservatione in custodia, quoad plenè & in solidum fuerit satisfactum. Rex item CAROLVS NONVS, frater noster, nobis observantia & honore prosequendus in ordinum conventu Aureliæ habito, querelis acceptis de Banccæruptionis nimis frequenti usu, decrevit ut quicuuque per fraudem foro cederent, extra ordinem ut in ipsos quæreretur, & capitali pœna afficerentur. Quæ decreta piæ memoriæ REX novissime vita defunctus suo Edicto Bloysij anno M. D. LXXIX confirmavit, iudicavitque censere se, ut quicunque per dolum foro aut bonis cederent, in ipsos exemplari pœnâ & correctione animadverteretur, nullis alioqui particularibus pœnis in delinquentes constitutis. Ex quo eius criminis tanta erupit licentia & consuetudo mali, ut ex subditis nostris quamplurimi magno damno affecti fuerint, atque indies adhuc afficiantur, Querimonijs igitur quæ ad nos allatę sunt, finem imponere cupientes, habitâ prius accurata rei perpensione, necessarium judicavimus, animad-

versiones

versiones in Fallitos & Cessionarios jam ante decretas in integrum restituere, atque etiam auctiores decernere. Hisce adeo caussis aliisque permoti rationibus, ex sententia Senatus nostri, exque certa sententia, summo Imperio, ac Regia potestate nostra, hoc Edicto nostro perpetuo, sancto, & irrevocabili ediximus, decrevimus, sanxivimusque; edicimus, decernimus, ac sancimus, volumus atque imperamus, ut iuxta illud iam laudati Domini ac fratris nostri decretum, ad querelas Ordinum Aureliæ convocatorum capite inquiratur in Fallitos Debitores quicunque foro & bonis suis cedunt, ut Creditoribus fraudem faciant, ipsorum negotiatores, institores & procuratores cuiuscunque loci, generis, aut ordinis fuerint, fraude manifestè comperta, publicè in ipsos ut in Latrones & impostores publicos capitis supplicio animadvertatur. Atque adeo, quoniam fori isti desertores id agunt ut plurimum, ut liberos ac hæredes suos locupletent, atque ut facilius nequitiam & fraudulentas suas machinationes occultent suis illis liberis, hæredibus, aliisque necessariis bona sua cedunt ac transcribunt, ut ea hac ratione apud ipsos conservent; ob eam caussam pronunciavimus,

 pronun-

pronunciamusque ejusmodi transcriptiones, cessiones, venditiones atque donationes bonorum mobilium sive immobilium., ad defraudandos Creditores directè vel indirectè institutas, irritas nulliusque juris aut momenti. Interdicentes porrò omnibus Iudicibus nostris, ne istorum ullam rationem habeant, quin imò si constiterit ipsis eiusmodi transscriptiones, cessiones, donationes, & venditiones ad fraudem Creditorum institutas, volumus in Cessionarios, donatarios & acquisitores ipsos animadverti, ut in collusores ac socios istarum fraudium ac fori cessionis. Volumus insuper ac decernimus, ut quicunque se falsò Creditores dixerint, quemadmodum sæpè accidit, per coitiones mutuasque conventiones, ad veros Creditores ad compositionem ac pactionem adigendos, in tales fiant exemplares animadversiones ut in socios earundem fraudium & foricessionum. Cavemus porro serio publico Interdicto, ne quis ipsos Fallitos, ipsorum fideiussores, Institutores, aut negotiatores, bona mobilia, chartas, seu tabulas ad se recipiat, neve ipsis ullâ ratione auxilium opemue ullam præstet, nisi in culpam & pœnam incurrere velit, ut socii & confæderati eiusdem criminis, ut

jam

jam dictum. Interminamur denique omnibus. verè Creditoribus, ni debitis suis & jure suo velint excidere, atque etiam si res ferat, graviori pœnâ mulctari, ne ullas pactiones, contractus & conventiones ineant, cum Fallitis, ipsorumve procuratoribus, sed ipsos jure persequantur juxta hoc nostrum Edictum. Quin & omnibus & singulis nostris subditis potestatem facimus, etiam nullâ auctoritate publici jussus aut permissus intercedente, Fugitivos Fallitos manu injectâ retrahendi comprehendendi, & in ius exhibendi, nullâ Iudiciorum Decretorum, Rituum ac Consuetudinum repugnantium habitâ ratione. Atque adeo in mandatis damus charis nostris ac fidis Patribus conscriptis supremam Curiam nostram Parisiensem frequentantibus, Diæcetis & Provinciarum Præsidibus, omnibusque aliis in hoc negotio Iudicibus nostris, ut hasce Edicti nostri litteras curent recitari, promulgari, & in acta publica referri, exerceri & observari, prout continent & præ se ferunt. Mandamus item summo nostro Iuris & caussarum Cognitori eiusque Substitutis, ut ad eam rem advigilent ac insistant, & si qua contra hoc Edictum nostrum itum fuerit, nos certiores faciant; quod

ni fecerint, ipſis culpa imputabitur, ab eiſque repoſcetur. Quippe nobis ita viſum ac placitum eſt. Atque ut ea res ſit firma, rata & ſtabilis in perpetuum, hoc Diploma ſigillo noſtro obſignari curavimus, ſalvo ſemper in aliis jure noſtro, & alieno in omnibus. Datum Lutetiæ Pariſiorum menſe Maio, anno à partu Virginis nono ſupra Milleſimum & ſexcenteſimum, & Regni noſtri viceſimo.

Signatum,

HENRICVS.

Et in margine replicato
Regijs auſpicijs:

FORGET.

Et ad latus

VISA.

Et obſignatum ſigillo impreſſo in cerâ viridi, ſuper ligulis ex rubro ac viridi ſerico.

Recitatum, publicatum, & in acta relatum, auditum, idque poſtulante Regio cauſſarum Cognitore, ac Iuris Vindice, Lutetiæ Pariſiorum in ſupremâ Curiâ IV. ***Iunij, anno Milleſimo ſexcenteſimo & nono.***

Signatum

DV-TILLET.

CAP.

CAP. XXXIV.

De Edicti antecedentis æquitate, dissertatio: sex rationibus suffulta.

Cic. pro Cluent. *SApientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit, ipsi veniat in mentem.* Noscenda Regi natura vulgi.

Ac veluti Poëta vetus:

Hesiod. Oper. 1. οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει:

Laudatissimus est ipsus qui cuncta videbit.

A nobis *Rex Galliæ & Navarræ* talis dicendus, & annumerandus, (ut

Eurip. Σοφὸς τύραννος, τῶν σοφῶν συνουσίᾳ:

Princeps sapiens) sapientium commercio.

Hic autem morum & animorum Regni sui non ignarus,

Martial. (*Principis est virtus maxima, nosse suos:*)

Cic. ad Q. frat. sapientissimè consuluit, *& eorum quibus præfuit commodis, utilitatique inservivit,*

Edictoque suo perpetuo, sancto & irrevocabili cognoscendum dedit, *sibi omnium quibus*

Id. Ibid. *præerat, salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas:*

Tac. l. 3. Ann. 1. Etenim ipso Edicto *pravas aliorum spes cohibuit,* I. Vt provideat cultus.

Idem l. 1. Hist. Providitque, *ne magnis* [ac damnosis] *conatibus* [Fallitorum] *opportuni essent transitus.*

Non [enim] *expedit* [ab ijs] *concuti felicem regni statum.* Sen. Oldip.

Obiectio. At, hoc acerbiùs à Rege factum, inquies, quàm par erat siquidem talis potentia, *paucorum odium reprimit, omnium irrîtat.* Sen. 1. de Clem.

Eiusdem, solutio, Odium hoc plebeium est, quod facile omnis libat Princeps; qui *quamvis id agat, ut nequis meritò illum oderit, erunt tamen semper, qui oderint.* Idem de Provid.

Παντὶ γὰρ δήμῳ τὸ κακόηθες καὶ φιλαίτιον ἔνεστι, πρὸς τοὺς πλεονεκτοῦντας: *omni enim populo inest malignum quiddam & querulum in Imperantes;* Plut. Polit.

At id in levi habendum: quia *Regium est audire malè, cùm facias benè.* Idem in Apopht.

Nec non, *gratum hoc est apud Deum, si cùm bene facitis, tamen afflecti toleratis.* 1. Pet. 2. vers. 20.

Imo beatum: *nam si quid perpetiamini propter justitiam, beati tamen estis.* Idem 3. vers. 14.

2. Cohibeat pravos. 2. Equidem vero melius hic Rex noster facere potuit, quàm suo Edicto libertatem peccandi Fallitis eripere? *Naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens* Sen. 1. de Clem.

Nec non,

Mobilis & varia est hominum natura malorum, Iuven.
Ut scelus admittat. Sat. 13.

Ideo interventu bonarum legum coërcenda, & ad meliorem frugem redigenda: adeò, ut

Hier. sup. Ierem. ut *regium sit officium malos comprimere.*

August. Epist, 65. Simulque *peccata sic compescere, ut sint quos peccasse pœniteat.*

3. Quid tum augustius, quam si Rex acerbis Edictis bonos protegat? *3. Protegat bonos.*

Sen, Octa.

Pulchrum est eminere inter illustres viros,
Consulere patriæ.
Et, *---- dare*
[Regno] *quietem* [subditis] *pacem suis.*

4. Quid laudabilius Regi, quàm eisdem tollere confusionem? *4. Vt tollat cõfusionẽ.*

Sophocles.

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν.
Αὕτη πόλεις ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
Οἴκους τίθησιν: ----
Confusione tetrius nullum est malum:
Hæc perdit urbes, ista perdit & domos
Vastasque reddit. ----

5. Quid tum in Rege divinius, quàm si strictis legibus bonos reddat meliores? jure Rex operam dat, *cùm ipse bonus ac strenuus sit, uti quàm optimis imperitet.* *5. Felicius regnet.*

Sall. ad Cæsar.

Plau. Mil ---- *facile imperium in bonos.*

Lycurgi effatum. Adde, *quòd Regnum plus virtute subditorum instruitur, quàm muris munitur;*

Verissimèque à Rege magna dictum : *nul-*

lum

lum regni præsidium firmius, quàm civium candor, benevolentia, & probitas. *Dictum, Antigoni.*

6. *Deoq; inserviat.* 6. Denique quòd Rex jusserit *in Fallitos, ut in latrones & impostores publicos, capitis supplicio animadverti*, non est crudelitas: *quomodo* quæso *Reges in timore servient Domini, nisi ea quæ contra Domini iussa fiunt, religiosâ severitate prohibeant ac plectant?* *Aug. Ep. ad Bonif.*

Crimen punire pro Deo non est crudelitas, sed pietas. *Hieron.*

Vnde & ille,

----- victima haud ulla amplior *Sen. in Herc. fur.*
Potest magisque opima mactari Iovi,
Quam [vir] *iniquus.*

Beatus [igitur] *qui exercet Iustitiam, quovis tempore.* *Psal. 106 vers. 3.*

CAP. XXXV.

Posterioris EDICTI REGII *vigorem propositum esse in exemplo cuiusdam* GVILHELMI PINGRÆI, *mercatoris Parisiensis, legitimo iudicio, fraudis & decoctionis turpis, convicti.*

Neglectio legis. CÆterum huius Edicti Regij vis & vigor demonstratus est, secundo die Maii, anno Millesimo, sexcentesimo nono, in exemplo quodam

quodam insigni cuiusdam *Guilbelmi Pingræi*, Mercatoris Parisiensis, publicè ignominiâ notati, aliisque severioribus modis punit; quod nempè enormiter ac perfidè Creditores suos ingenti pecuniæ summa defraudasset. Quis improbabit? Feruntur leges, ut observentur: non

Iac.I. R. Brit.l.2. Inst. Reg. verò *ut pro ijs inania simulachra & involucra Iustitiæ obtendantur.* *Nota principi.*

Sin hoc fiat. 1. vilescit Princeps & spernitur, eò quod

Ibid. *in suo regno plures bonæ leges feruntur, quàm debitæ executioni demandantur,*

Tac.l.1. Hist. 2. Passimque tum apud malos, *minore metu & maiore præmio peccatur.* *Malis prodest.*

Sall.Iugur 3. Tùm & boni, incautique *quàm opportuni iniuriæ!* *Bonis obest.*

Cic.l.3. offic. *Quotusquisque* [enim] *reperitur, qui impunitate propositâ abstinere possit iniuriâ?*

Arist.l.6. Polit.c.4. ἡ ἐξουσία τοῦ πράττειν ὅ τι ἂν ἐθέλῃ τις, οὐ δύναται φυλάττειν τὸ ἐν ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον: *facultas faciendi quod cuilibet visum, non potest comprimere ingenitam singulis hominibus pravitatem.*

Cicero. Laudatur REX, si curet ut suis *legibus anima insit:* *Vtilitas magna sequitur ex observatione legum.*

Iac.1. R. Brit.l.2. Inst. Reg. 1. *Legum* [autem] *severitate stabilitum & confirmatum est Imperium.*

Cic.3. in Verrem. 2, Tumque boni in tuto: atque *unius improbi suppli-*

supplicio multorum improbitas coercetur.

Lacones malo jure, sed utili exemplo servos Ilotas immanibus urgebant poculis, & cogebant inebriari, deinde flore liberi perculsos protrahebant in conspectum ingenuæ juventutis, ut *spectaculi fæditas eam ab ebriositate avocaret*, *Bau. Tract. de fænore.*

3. At longe humanius atque æquius est, ut malorum *facinorum auctores luant quod admiserunt.* *Liv. l. 38.*

Sæpeque castigatio unius, multorum fit medicina.

Et unde orta culpa, ibi pœna statuatur; *ut sic metus ad omnes perveniat.* *Cic. pro Cluent.*

Animadversio corrigit civitatis mores; *Sen. 1. de Clem.*

Pestisque è visceribus Reipub: citiùs tollitur, ubi *formido improbis est imposita.* *Cic. 4. Cat.*

Principi ideò, sedulo *in Legibus exequendis insistendum,* *Iac. I. R. Brit. l. 2. Inst. Reg.*

Et *meminisse debet, bonarum legum executionem.* *Ibidem.*

Quam nos demonstrabimus in castigato *G. Pingræo.*

CAP. XXXVI.

Insigne decretum, contra GVILHELMVM PINGRÆVM, *Fallitum: continens interdictum, ne quis ullos Fallitos occultet aut celet, sub pœnis ipso Regio Interdicto indictis.*

---- Caussa

---- Causſâ *Guilhelmi Pingrai* penitus excuſſâ, diſceptatâ,& omnibus modis ventilatâ, ac perſpecta, delecti ad eam cauſſam Cognitores ac Iudices, & auctoritate Regiâ inſtructi, pronunciarunt pronunciantque eundem *Pingræum* reum peractum & convictum defectionis acBanccæruptionis per dolum malum ac perfidam fraudem in ſuos Creditores commiſſæ, diſſimulatarum rationum ſuarum & codicum rationariorum, tabularumque ac ſyngraphorum averſorum. Quibus de cauſſis adiudicarunt ipſum pendendæ mulctæ honorariæ, genu flexo, nudo capite, amictum induſio, planipidem, geſtantem collo laqueum & tabellam cum hoc titulo, FRAVDVLENTVS BANCCÆRVPTOR, ferentem manu tædam accenſam, bilibrem, palam è regione majorum Palatij graduum, profitentem ſe deditâ operâ, ſubdolo animo hanc Banccæruptionem admiſiſſe, & rationes ſuas divertiſſe, eiuſque ſe criminis culpam deplorare, & veniam à Deo, à Rege, à Iuſtitiâ implorare. Inde per lictorem eodem habitu deductum per plateam ſancti Dionyſij uſque in forum venalium, eandem ibi præſtantem ſatiſfactionem, atque

per tres item dies numellis publicis insertum, mulctam eandem expendentem. Eo peracto, ad triremes censuerunt abducendum ad strictam & duram ibi Regi servitutem tanquam in ergastulo perpetuo serviendam. Omnia porro bona ipsius publico ac fisco addixerunt, ubi primum Creditoribus ipsius satisfactum fuerit: mulctam insuper pecuniariam irrogarunt centum librarum ad usum sacrum collocandarum. Ad hæc omnes cessiones & transscriptiones ab eodem *Pingræo* factas ab usque Calendis Septembris anni Millesimi sexcentesimi septimi irritas,& nullarum virium ac momenti esse declararunt: decernunt, ut inde, ex cæterisque bonis ante omnia, iure prælationis, sumantur illæ tricies septies mille nongentæ & triginta tręs libræ cum solidis duodecim, tribus illis apochis, à magistro Nicolao de Lancij Quæstore ipsi traditis, comprehensæ; quod reliquum superererit, in cumulum cum aliis bonis debitisque, quę reperiri poterunt, conijcietur, ut inter omnes ipsius Creditores eorum proportionata fiat distributio. Interdixerunt porro omnibus cuiuscunque loci sive ordinis, ne ullis Fallitis perfugium, operam aut subsidium commodent; neve ullas ipsorum

rum

rum rationes tabulasque, bona mobilia aut alias quascunque res ipsorum supprimant, aut intervertant; sub pœnâ damnationis, ut reorum ipsius Banccæruptionis, cùm civiliter tùm etiam capitaliter, si res ferat. Atque adeò dictum *Pingræum* condemnarunt ad satisfactionem æstimationis litis, quantum interfuit actorum Zameti & Lanciæi, & ad omnes quę inciderunt impensas.

Actum *Lutetiæ Parisiorum* in Regijs Comitiis, secundo die Maii, anno Millesimo sexcentesimo nono, & pronunciatum quarto eiusdem Mensis, anni eiusdem, Regio actori in iisdem Comitiis, & dicto Pingræo reo in custodiâ Carcelli detento, qui mulctam honorariam expendit, & publicè ignominiâ affectus est, iuxta Edicti formulam ac modum, ac deinde in custodiam Carcelli, reductus est.

Ita Signatum,

ROISSET.

CAP. XXXVII.

Responsio ad eos, (qui ingenio mobili procacique linguâ agitati, EDICTVM CONTRA PINGRÆVM *nimiæ fortaßis severitatis volent culpare.*

Obiectio, vulgi. SEntentiam audivimus, eiusque executionem in *Pingræo*, sed quid videor mihi audire? tantane severitas adhibenda fuit ad unum miserum *Pingræum* plectendum? Μανία τοῦτ' ἐστὶ, καὶ οὐ βασιλεία: *furor hic est, non Regnum.* *Stob. de Regno.*

Ecce, quàm arduum inter mortales regendi onus! nihil odij telis obiectum atque obnoxium magis putem, quàm REGNVM:

Simul ista mundi conditor posuit Deus, *Sen. Theb.*
Odium atque Regnum:

Cui hæc duo: Procax ingenium. Lingua, dicax. Caussa sæpè est in vulgo, *cui neque iudicium aut veritas.* *Tac. l. 1. Histor.*

Et quia, *communium curarum expers.*

Idcirco ab Imperantibus nihil fit, *quod non vellicare malignitas* [vulgi] *audet.* *Ibidem.*

Fateor, *est quidem ingenita quibusdam gentibus erga Reges suos* [Regumque statuta] *veneratio;* *Curt. l. 3.*

Apud alios tamen ægrius: hinc

Vt

Sen. Oedip *Vt alta ventos semper excipiunt iuga,*
Imperia sic execlsa [linguis] *obiacent.*

Verùm, quid iuris sibi procax lingua ad oblatrandum, sive ad mordendum aliquid, in hac Sententiâ *Pingræi* habet? Fallitus erat, *rationem bono consilio à Deo immortali ipsi datam in fraudem malitiamque convertens.* (Responsio obiectioni priori opposita.) (Cic. de Nat. Deo.)

Val. l. 9. c. 6. *Insidiosum* [profectò] *malum* [fraus Falliti] *tantum incommodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides;*

Ibid. *Latebris suis extrahenda est,*

Iique quibus inest puniendi: quia semper *ab hoc genere, summum periculum.* (Cur mali puniendi.) (Liv. l. 34.)

Premendi & reprimendi, quàm ocyssimè fieri potest, horum conatus improbi, ne longiore morâ excrescant, & in magnum Reipub: malum evadant; *parva sæpè scintilla neglecta, magnum excitavit incendium.* (Curt. l. 6.)

Ovid. 1. de Remed: amoris. *Et neglecta solent incendia sumère vires:*
Sæpe solet scintilla suos se spargere in ignes.

Cunctabitur igitur Imperans? minime gentium *in corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur, ut membrorum potiùs aliquod quàm totum corpus intereat.* (Cic. Phil. 8.)

Quin ita Imperantj, *quidquid est pestiferum in Reipub. corpore, est amputandum, ut totum salvum sit.* (Ibidem.)

Melius

Melius est ut pereat unus, quàm ut pereat unitas. Aug.

Pœna neglecta quid dãni afferat Imperantibus.

Laudanda quinimò summoperè hæc Principis vigilantia & cura. Nam *si corporum medicinam exercentem, eumque urentem & secantem, atque ipsos carnifices imitantem, non malum sed bonum dicimus, atque adeo gratias agimus, & mercedem numeramus: cur in medicinâ Dei* (sive Principis) *non acquiescimus?* Simplicius

Quid obloquimini? *Quæ putatur pœna, medicina est.* Hier. in Ezec.

Et verò huius rei caussa Imperanti incumbit, ne ista neglecta Divinam in se iram concitet: *qui* enim *absoluit improbum, & qui condemnat iustum, abominationi Iehovæ sunt.* Prov. 17. 15.

Puniendi [propterea] *à Regibus improbi, ne ipsi pro illis puniantur.* Cypr. de util. pœn.

Quæ cùm ita sint, nulla hîc μανία, aut furor usurpatus in plectendo *Pingræo*. Id ut ampliùs liqueat, non nostra sed aliena argumenta in medium producamus; quæ quantum ad Decreti in *G. Pingræum* propugnationẽ faciant, videre est, in quadã doctissima ORATIONE COMMONEFACTORIA, quam Latinè redditam his annectemus.

CAP.

CAP. XXXVIII.

ORATIO COMMONEFACTORIA *de variis criminibus, iuxta Edicta & Statuta* REGVM GALLIÆ.

SIcut plerumque ex malis moribus naſcuntur bonæ leges, ita ex duobus magnis malis, quæ pullulant in hoc Regno, videmus uno in menſe enaſci duo Edicta, conſtitutaque admodum ſalutaria.

I. Ad Duella, frequentia, quæ non niſi ad interitum huius florentis ſtatus & ordinis Nobilitatis tendunt, coercenda.

II. Ad reprimendam item Banccæruptionem, quam non minus frequentem videmus: aut ſaltem ad vindictam in eos exercendam, qui eius criminis rei comperti fuerint & convicti, una cum ſociis ipſorum & conſciis. Omiſſis in præſens Duellis, ac ad ampliorem tractationem reſervatis, brevibus agemus de Sententia lata adverſus *Guilbelmum Pingræum* condemnatum crimine decoctionis & defraudationis; quæ nefaria crimina ſint, & alia ſecum trahunt: ut furtum, ſtellionatum, peculatum, falſimonium, omnia capitalia. Addubi-

tatum fuit de interpretatione iſtorum vocabulorum *extra ordinem, & capitali pœna in ipſos animadvertendi*; ut habetur in Decretis Aurelianis & Bloyſijs: niſi novum Edictum, quod placitum eſt Regiæ Maieſtati hoc menſe Maio anni Milleſimi ſexcenteſimi noni ad Senatum ſuum mitteret; omnem porro dubitandi anſam ſuſtuliſſet, irrogato ultimo ſupplicio, non ſine magno omnium bonorum applauſu. Sed quia nulla lex ſatis grata atque æqua eſt omnibus: & nec Iupiter quidem (ut veteri fertur proverbio) ſive pluat, ſive ſerenet, omnibus facit ex animi ſententiâ; placet rationes adferre, quibus ijs reſpondeatur, qui nimiæ ſeveritatis Decretum illud, & maioris etiam ipſum Edictum inſimulant. Decet nos, inquiunt, fortunam, ſortemque miſerari eorum qui facultatibus exuti, non per luxum aut fraudem, ſed per vim ſuperiorem, aut infortunium, aut quod ipſi à creditore quodam ſuo fraudati, damnum perpeſſi ſunt. Deinde mores noſtri conſtitutionesque ſæpè moræ tempus, prorogationes, ac dilationes indulſerunt per Diplomata aut Sententias, quæ à ſupremis Curijs fuerint approbatę. *l. quoties. C. de prec. imp. off.* Eſto: nonnulli non indigni videantur miſero perfugio ceſſionis

nis

nis bonorum, gestando interim *insigne Pilei & galeri viridis:* Galeri (inquam) viridis, ut occurram illorum fraudibus, qui cessione factâ nihilominus gestant galerum nigrum, & pileolum quidem viride subtus abscondunt, vix ut discerni possit: nunquam tamen satis rigidè, non tantùm morte civili, quæ est facultatum & dignitatis spoliatio, sed etiam morte naturali in eos animadverti potest, qui manifestè comperti fuerint ex diversis nummorum loculis, magnam pecuniarum vim intercepisse ac sustulisse, ut postea in externas regiones aufugiant, ubi prædâ potiantur ac gaudeant, atque, ut Satyricus ait, *Vivant & fruantur dijs iratis*; innumeris interim honestis familijs eversis, & ad inopiam ultimam ac mendicitatem redactis. Hi sunt, inquit Tacitus, fructus usurarum, quarum morsus similes ictibus quorundam serpentium, à quibus qui læsi sunt initio vix ullum dolorem persentiscere videntur, sed exitus in funestum interitum ipsos conijcit. Omnis Fallitus fieri non potest, quin fœnerator activus & passiuus multimodis fuerit. quod si Cato fœneratorem homicidæ vel sicario assimilabat, leve profecto fuerit, si quis Fallitum fraudulentum furem vocaverit; siqui-

dem de industriâ tot tenuioris fortunę hominum bona invadit, tollit, rapit, atque avertit nequiter, idque astutis & callidis artibus, unde Dolus existit, qui, si nomen desit, alias significantiùs nomine stellionatus appellatur. Quantum ad Peculatum attinet, non is quidem ut in facto illius *Pingræi* ubique perpetuò contingit, maximam tamen partem se isti implicare solent illis qui pecunias publicas tractant, vnde vtrinque exoritur turpitudo, non in accipiente solùm, sed etiam in expendente. Superest crimen gravissimum, nimirum Falsitas, seu mala fides, à quâ nemo qui fraudulentam cessionem fecerit, innoxium se potest præstare; siquidem ubi rectos ac sinceros codices rationarios exhibere deberent, supposititios ipsi ultro cudunt. Quòd si quis excipiat istiusmodi falsitates non esse capitis supplicio expiandas, vt sunt vbi deprehenduntur in Notarijs publicis, aut Tabularijs, alii sve publico munere fungentibus, & quibusdam Decretis satis visum esse ipsis diem intendere. Respondeo ex placitis legum Romanarum, eiusmodi commentarios seu codices rationarios Trapezitarum, qui vocantur *Argentarij*, *Argyropratæ*, *Mensularij*, *Cermatistæ*, de quibus Seneca in prologo suarum Decla-

Declamationum, & Quintilianus *l.* 11. *c.* 1. fidem facere in judicio *l.* 4. *l.* 9. §. *pen. eff.* de *Eden. l.* 50. *ff. de adimi. & per tot. Nou.* 4. & 113. & similiter in multis Senatusconsultis judicatum est, Ephemerides ipsorum fidem facere. qui igitur regulam istam adulteraverit, aut duplicaverit, is profectò non nisi jure pœnam incurrere potest falsariorum, supplicio capitis nimirum & vitæ amissione, prout Edicto fertur, & in Curijs ultimę Iurisdictionis etiam Rothomagi in usu habitum fuit. Verùm æquitas & necessitas hujus Senatusconsulti Edicto corroborati seipsam probat, ac tuetur. Vtilitas etiam in posterum ipso usu comperietur magis ac magis.

CAP. XXXIX.

Priori Oratione commonefactoriâ, Decretū in PINGRÆVM, *à nimiâ severitate vindicari iustè.*

Plin. Pan. QVandoquidem crudeles & *malos Principes detestentur, etiam qui* [crudeles] *& malos faciunt.* *In supplicijs nulla debet esse crudelitas.*

Videndum propterea ipsis, ne quid statuant aut exsequantur, in quo sævitia utantur, *quæ nil nisi dedecus ipsis parit.* Tac. in Agric.

Hanc non inesse Decreto superiori in Fallitum *Pingræum* sancito, justissimis rationibus jam vindicatum & comprobatum ~~audivimus~~; indeque exemplum nunc aliis Principibus atque Iudicibus, ad omnem crudelitatem, sævitiamque cavendam statuendum esse censeo. quinam enim huius fructus? acerbi. Inde proles pessima Invidia, quæ miris ac diris acerbitatibus animos subditorum excitat: ὁ γὰρ ἀναι-
Istâ provocatur invidia. δῶς ἐς πάντα ἁπλῶς τῇ δυνάμει καταχρώμενος, οὔτε εὔνοιαν *Apud*
ἀληθῆ, οὔτ' ἀσφάλειαν ἀκριβῆ εὑρίσκει: *qui enim im-* *Dio. l. 43*
pudenter, & passim in omnibus potentiâ abutitur, is neque veram benevolentiam, neque firmam securitatem invenit.

Vilescit pœna. 2. Quique severè punit, suam inter suos vilem reddit pœnam: *quia severitas amittit assiduitate auctoritatem.* *Sen. 1. de Clem.*

Et nescio quo obnitendi vitio *videbis ea sæpè committi, quæ sæpè vindicantur,* *Tac. Ann. 13.*

Nisi quod, *intempestivis remedijs delicta accendi soleant.*

Hostis excitatur. 3. Imò nec ex ipsius privato: quoniam *ut arbores quædam recisæ pullulant, ita Regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo:* *Ibidem.*

Temperatus enim timor est, qui cohibet: assiduus & acer in vindictam excitat. *Idem.*

4. Inde-

Cic. de Aruſp. reſp. 4. Indeque pernities alia, *odium* ſcilicet: *quod ſemel inſitum animis hominum & iniuſtum,* *Odium naſcitur:*

Cic. I Phil: 2. Incredibile eſt *quantum valeat ad peſtem.*

Nam qui odiſſe Principem incipiunt, ſublatum ex oculis optant, &

Idem l. 2. off. ----- *quem quiſque odit,*

Periſſe expetit.

Sen. 1. de Clem. Scilicet per gradus quoſdam *exſecrantur, inſidiantur, opprimunt.*

Ad Lent. l. 1. Ep. 4. Denique *incluſum illud Odium omne repentè aparet.* *Nam multis terribilis, multos cavere cogitur.*

Sen. 1. de Clem. Tum verò ah *quanta rabies oritur, ubi ſupra modum odia creuerunt!*

Cingat ſe Princeps, muniat ſe,

Sen. Herc. Oet. *Nec non populis ſtipatus eat:*

Cic. l. 2. offic. Tamen ſentiet *multorum odiis nullas opes poſſe reſiſtere:*

Sen. 1. de Clem. *Tamque multis periculis petietur, quàm multis ipſe periculum eſt.*

Sit propterea penes Principem puniendi modus: tutiùs laudabiliuſque aget, *ſi à ſe cuncta iuſto moderatoque regantur imperio.* *Atque aſſiduis periculis eſt expoſitus.* Idem.

Sen. 1. de Clem. *Pœnam* [que] *ſi tutò poterit, donabit: ſin minùs, temperabit.*

Qualem uſurpatam fuiſſe adverſus *G. Pingræum* Banccæruptorem cùm advertimus, æquitatem

tatem atque utilitatem eiusdem pœnæ cum viderimus, quiescant illi,

----- Quibus thesaurus est in linguâ situs, *Plaut. in Pœn.*
Vt quæstui habeant malè loqui bonis legibus.

CAP. XL.

Via ad sequens Curiæ Rothomagiensis in Fallitos Decretum strata.

Imperium in homines difficile.

REm Imperij optimè vidit, qui scripsit: πάντων τῶν ἄλλων ζώων ῥᾷον, ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν: *omnibus animalibus faciliùs, quàm hominibus imperitare:* *Xenop. 1. Pæd.*

Nam animalia domantur quidem levi arte, sive tractatione una atque altera; at non ita homo, *quo nullum animal morosius est, nullum maiori arte tractanudum,* *Sen. de Clem. 1.*

Idque propter inhærentem naturæ per peccatum, depravatæ vitiositatem, ex qua infinita *vitia,* istaque *erunt donec homines.* *Tac. l. 4. Hist.*

At bonis legibus subiugandi sunt.

Quibus rectiùs consulere aliquem haud posse putem, quamsi Statutorum, legumque latione coerceat, *& non assuetas frenis servitutis* [lenis] *tumidas inflatasque cervices* [placido] *iugo subdat.* *Flor. 4. l. c. ult.*

Vtilis hæc regendi via calcata, à viris Illustrissimis

ſtriſſimis Conſiliarijs ſupremæ CVRIÆ ROTHOMAGENSIS, quemadmodum id conſtat in *Decreto adverſus Ceſſionarios atque Fallitos ſancito, ad quintum diem Martis, anno à Chriſto nato Milleſimo, quingenteſimo & quarto ſupra octoageſimum.*

Decretum Curiæ Rothomag.

Nam cùm hi vincula Reipub. latefactari ab iſtis defraudatoribus perſentiſcerent, & quod ab iis committebatur, viderent, *in omnium ferri injuriam,*

l. 4. cod. Iuſtin. de Haret.

[Siquidem per fas nefaſque aliena corradant, *ſeque per licita & illicita fœdent.*]

Tac. l. 15. ann.

In ipſos decernere operę pretium exiſtimârunt: ſiquidem maturè malis occurrere, *iſtud ſanè eſt vinculum, per quod Reſpublica cohæret.*

Sen. 1. de Clem.

Scimus quàm maturè & tempeſtivè Medici putrefactiones in totum tollere ſtudeant, *ne aliam corporis partem labefactare, aut corrumpere poſſint.*

Cic. in Vatin.

Imo, *ſcimus digitum præcidi oportere, ſi ob eam rem gangræna non ſit ad brachium perventura.*

Varro in Frag.

Imò amputandi noxij ne reliquis noceant.

Sic neceſſe eſt, ſi Rempub. ſalvam eſſe volumus, ut perditiſſimi homines amoveantur, *ne homo corruptus integro, violatus caſto labem infringat.*

Cic. in Vatin.

Ad quod Iuſtitiæ munus prudenter obeun-

O dum,

dum, nihil magis necessatium, quàm duplex hoc prudentiæ caput.

1. Prius, *novisse singulorum hominum mores*: Liv. l. 45.

Noscenda (Iudici) *vulgi natura est*, *& quibus modis temperanter habeatur.* Tac. l. 3.

Ad consilium de Repub. dandum, caput est, nosse Rempublicam. Cic. l. 2. de Orat.

In metu nil firmũ. 2. Posterius sine metu aut timore ad castigandum venire. In metu quid firmum? malus hic est Iustitię minister, nunquam Iudex valet iniustè facta tollere, *si quando metuat à facie potentis, & ponat offensionem in recto itinere suo.* Ecclesi. c. 7 vers. 6.

Quia mali ubi metum in Iudice compeꝛiunt, timere tum desinunt, & *repertis auctoribus tollunt animos.* Tac. l. 6. Ann.

Firma regendi vis, quando Iudex intrepidè Iustitiæ securim distringit: eiusque est, *amorem apud populares* [bonos,] *metum apud* [maleficos] *quærere.* Idem l. 11 Ann.

Hujusque magnanimitatis atque prudentiæ exemplum videamus in sequenti *Decreto Rothomagi* in suprema Curia sancito Gallicè, nos cõmodo Lectorum Latini iuris faciemus.

CAP.

CAP. XLI.

DECRETVM CVRIÆ ROTHMOAGENSIS, *adversus Fallitos atque Cessionarios.*

INter *Thomam Triboutium*, à duabus sententiis per Prætoré Rothomagensem eiusve Substitutum latis, unâ XXIV. die Novembris anno MDLXXXII. altera XVIII. die Martii MDLXXXIII. ad Superius Tribunal appellantem & iudicio contendentem procuratore Martino Regio, & inter litem exadverso intendentes, *Iohannem Menaut* & *Petrum Gueraut*, caussam agente M. Carolo Maræsio; *Iohannem Russileum*, caussam agente M. Roberto Bernardo; *Nicolaum Doublet*, & *Leny Questier*, caussam agente M. Carolo Fabro; *Ioannem Savary* Iuniorem, caussam agente M. Iacobo Boscio; *Iohannem Conque*, & *Nicolaum Vindir*, caussam agente M. Iacobo Terreino, totidem ipsis Triboutii Creditores in hoc iudicium dictis Procuratoribus introductos.

SENATVS & Regius eius Vindex disceptatione inter litigantes utrinque audita ad interiectam Triboutii provocationem ius dicens, inanem pronunciat istam ipsius appellatio-

 nem,

nem, suspensa tamen mulcta, decernit, decrevit, ut rata integraque maneat Sententia, à qua est appellatio facta, & ipsi Provocatori mulctam appingit impensarum huius caussæ provocatoriæ ab ipso excitatæ. Interim tamen habita eorum ratione, quæ ab ipsis Creditoribus ipsoque Regio iuris actore & Vindice declarata fuerit. Et quod hoc primum est in eiusmodi caussa iudicium exemplare, SENATVS dictum Tribouttium exemptum habet, à notâ gestaminis *Galeri viridis*, atque ut ea de quibus Regius iuris Procurator verba fecit, iuris æquique, decretum fiat;

II. SENATVS idem CVRIÆ ROTHOMAGENSIS prospectum præcautumque volens tot Bancceruptionibus, fraudibus, malisque artibus, quæ iam nimis in usum consuetudinemque abierunt, magno bonorum ac fidelium Creditorum detrimento, censuit, decrevit, vt quicunque in posterum ad perfugium carceris, si non statim Iudicem certiorem liquido fecerint de bonorum suorum iacturâ fortuita insigni, & sine fraude, sive temerariâ profusione ad beneficium cessionis bonorum admittentur, ij teneantur coganturque *Galerum Viridem* gestare, ut hac quasi notâ ab omnibus

bus dignoſcantur, neve temerè per imprudentiam contingat, vt recipiantur in pactiones fruſtraneas ac irritas. Tũ ſi quando fortè committant, vt deprehendantur iſto ſuo *viridi Galero* non amicti, hac in cauſſa idem SENATVS poteſtatem porro facit, ipſorũ Creditoribus, vt ipſos deintegro in carcerem curent concludendos, nulla beneficij ceſſionis priùs jam ipſis adiudicati habita ratione. Atque ut Decretum hoc omnibus palàm fiat, conſtituit idem SENATVS, vt in omnes huius Iuriſdictionis Præfecturas mittatur, ibique publicetur, & in acta referatur, obſervetur ac cuſtodiatur iuxta ipſius formulam, ſententiam, & modũ. Quod vero attinet ad alterã appellationem à ſententia lata XXIV. die Novemb. anno MDLXXXII per Tribourium interiectam, SENATVS cenſuit, vt ea ratio de qua in hac parte inter ipſos utrinque litigantes conventum eſt, recta ac rata habeatur. Actum ad quintum diem Martis anno à Chriſto nato Milleſimo quingenteſimo & quarto ſupra octoageſimum, *Rothomagi* in ſuprema Curia.

Signatum

DE-BOISLEVESQVE.

CAP. XLII.

Commendatum præcedens Decretum: primò, à Clementia: *secundò, à* Iustitia, *quæ in eodem contenta.*

Edictum Curiæ Rothomagensis, duplici titulo insigne.

DEcretum CVRIÆ ROTHOMAGENSIS Latinitate fideliter donatū exhibuimus, secundùm cuius tenorem quidam *Thomas Triboutius* doli & facinoris, defraudationis ac decoctionis convictus (quòd primus pœnam incurreret) leniter punitus est, at inde tale editum Diploma, scilicet vt in notam sceleris, si qui deinceps beneficio Cessionis bonorum gaudere vellent, ad effugiendum squalorem & pœnam carceris, Falliti gestarent VIRIDE PILEVM.

In eo vide CLEMENTIAM: in hoc IVSTITIAM.

Clementia usurpanda in leniter errante, aut serio pænitente.

Optimè profecto & in bonum Reipub. consuetum, si quando Imperans, *Clementiamque & Iustitiam capessit.* *Tac. l. 12. Ann.*

I. Veri *benignique Principis est, ad Clementiæ commodum transilire interdum terminos æquitatis. quando sola est Misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.* *Cass. 11. Var.*

Clementisque Iustitiæ præceptum hoc habet:

Tac. Agric bet: *Omnia scire, non omnia resequi, paruis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentiâ contentus esse.*

Claud. *--- ignoscere pulchrum* Id, pulchrū

Iam misero. pœnæque genus vidisse precantem:

Sen. 1. de Clem. Et *utile*: nam, *Clementia ornamentum imperiorum est simul & certissima salus.* Vtile.

Imo *necessarium* ad Imperium stabiliendum: Necessariū hâc namque qui utuntur, amicos parant, *benevolentiam sibi conciliant, & quod aptissimum est ad quietè vivendum & regendum, caritatem.* Cic. l. 2. de fin.

Quod, quæso, maius boni Imperij fulcimentum? nullum. quia, *non exercitus neque thesauri præsidia regni sunt, verum amici & caritas eorum quibus imperatur.* Sall. Iug.

Idcircò (quando commodè fieri possit) *præcipuum Principis opus est* [clementiâ] *amicos parere.* Plin. Pan.

II. Adde IVSTITIAM, quæ in hoc Curiæ Rothomagensis Decreto etiam emicat, dum violatæ fidei pœna statuitur VIRIDIS PILEI GESTATIO. 2. Iustitia exercenda.

Ignominia hæc non inutilis, quia alios arcet à simili conatu, *& non tantum honestiores, sed tutiores præstat mores.* Sen. 1. de Clem.

Quis est, qui non ignominiam, infamiam, dedecus Per ignominia pœnam

dedecus fugiat? *Nemo est tam agrestis, quem si non ipsa honestas, contumelia tamen & dedecus magnoperè moveat:* Cic. Partit.

Etenim,

---- hominum immortalis est infamia,
Etiam tum vivit, cum esse credas mortuam. Plaut. Persa.

Hinc,

---- avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitiis. Hor. Sat. 4. lib. 1.

In quâ desterritamenta mali.

Concludamus igitur: *Clementia* & *Iustitia*, ô Iudex, à mente & sede tuâ nunquam absint: Εἰ μέλλεις τὰ τῆς πόλεως πράξειν ὀρθῶς καὶ καλῶς: *si rempub. rectè laudabiliterque instituis gerere.* Plat. Alc. 1.

Eventibus omnis ævi crede, qui sic Clementiâ & Iustitiâ *imperium temperavère, bis candida & læta omnia fuisse.* Sall. ad Cæs.

MAGISTRATVVM Statuta & jura, in Fallitos Debitores.

CAP.

CAP. XLIII.

Præfatio, De officio Magistratus.

Magistratus officiũ. MAgistratui beatus Reipub. status non minus debet esse propositus quam *Gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria.* Cic. ad Attic. l. 8. Ep. 11.

Baud. l. 4. Sap. civil.

---- Consul est qui consulit
Vrbis saluti, civiumque commodis.

Cicero l. 1 offic. Magisterque verus Magistratus, *si intelligat se gerere personam civitatis, debereque eius dignitatem & decus sustinere, servare leges, iura describere, & ea fidei suæ commissa meminisse.*

Omnino qui Reipublicæ præsunt duo Platonis præcepta teneant.

Cicero l. 1 offic. 1. Vnum, *ut utilitatem civium sic tiveantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum.* Commoda civium defendere.

Idem ibid. 2. Alterum, *ut totum corpus Reipublicæ curent; ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deferant: ut enim tutela sic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est.* Æquitate eadem omnes continere.

Cic. l. 2. offic. Ad hoc assequendum, in primis operam dabunt, *ut iuris & iudiciorum æquitate suum quis-*

Videre, ut suũ quisque teneat. *que teneat, ut neque tenuiores propter imbecillitatem circumveniantur, neque locupletibus ad sua vel tuenda vel recuperanda obsit invidia.*

Ad illud verò obeundem, necessum est, *conservent vim legum, vim civitatis, dignitatem clarorum hominum; occurrant fraudibus & malitiis veteratorum, medeanturque iniuriis sociorum.* *Bau. cent. 1. Epist. 3*

Atque *cùm auxilia Reipub. labefactari convellique videant, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisque communibus, suam salutem posteriorem salute commune ducere: intercludere omnes* [defraudationum] *vias.* *Cic. pro C. Rabirio.*

Munusque eorum, *resistere & levitati multitudinis, & perditorum temeritati.* *Idem pro Milone.*

Prospicere ne quid mali bonis inferatur. Hinc præclaræ laudis monumentum, atque magnum gloriæ insigne MAGISTRATVI emerget, quando Rempub. rectè administraverit. Siquidem Magistratus subselliis & fastigio *nullum ornamentum dignius pulchriusque est, quàm illa* CORONA OB CIVES SERVATOS. *Sen. l. 1. de Clem.*

Id est, nihil his qui Rempub. tuentur præclarius, *quam si fidem fecerint, se nihil nisi populi utilitatem & fructum quærere.* *Cic. de lege agr.*

CAP.

CAP. XLIV.

Particularius, de officio Magistratus, dictum: deque eius animadversione in Fallitos Debitores.

PEnes omnem *Magistratum*, qui Reipub. prodesse cupit, debet quoque esse animadversio in Fallitos fraudulentosque Debitores, & *diligenter pro suâ sapientia & humanitate cogitare, penitusque prospicere debet, quid mali, quantumque periculi unicuique civium inferre poßit*, [actio malorum.]

Animadversio in decoctores, utilis est.

Cic. pro Cluent.

Nam Prudentia ac diligentia Magistratus civium salus constat: *laudandi propterea ij, qui cùm viderent mercaturam frequentari & Fallitorum copiam quotidie increbrescere, sibi ius proprium civitatis in decoctionibus constituerunt,*

Ben. Tract. de decoct.

Siquidem; *severißime in fraudulentos Fallitos animadvertere, salus est mercaturæ.*

Id. ibid.

Omissa: amittitur bonum reipub.

Pestis autem, ubi *audacißimum illorum non cohibetur inceptum, tantumque dedecus ac probrum non pulsatur.*

echon. in Pentec.

--- itaque pessimè
Eo pacto in rempublicam consulunt,
Qui tam leni ànimo se esse ostendunt,

Idem in Typh.

--- nec improbis
Horum hominum [Fallitorum] *conatibus*
Haud obsistunt.
--- deteriores enim
Omnes sumus licentiâ.

Etenim licentiâ quisque fit deterior.

Quapropter vobis, quotquot res curatis publicas, *Idem in Stulo.*
Quibus maiorum decreta, & populi cura est salus,
Summis est enitendum viribus, ne latius
Per urbem vestram virosque execrandam
isthæc serpat [decoctionis] *lues.*
Sed ut ante caveis, dū tempus datur, priusquā horum
Scelera & blanditiæ [fraudesque] *conficta dolis*
Plures in erroris sui commercium
Pelliciant.

Iura ac Statuta, quibus in singulis Civitatibus improbitas Fallitorum compesci soleat, nunc in sequentibus pagellis dabimus.

CAP. XLV.

CARCERIS POENA:

Fallitis Debitoribus constituta.

Cic. Orat. 2. in Cat.

Carceris pœna.

CArcerem, vindicem nefariorum at manifestorum scelerum Maiores nostri esse voluerunt.

Leges Romanæ etsi non expressè carcerem decer-

decernant obæratis, tamen non obſcurè ex Codice, qui bonis cedere poſſunt, lege prima id confici poſſe videtur: ſcribitur enim, *cedendo bonis evitari carcerem.*

In Cod. l. 1

P. Mart. in l. com. claſſ. 4. c. 19.

Inde colligitur, *Debitores, qui non ceßiſſent bonis, fuiſſe detrudendos in carcerem.*

Imo viros primarios, qui ſolvendo non eſſent, duci in carcerem ſolitos, ex eo liquet quòd Valerius Maximus ſcribit, *Cornelium Scipionem Aſiaticum, cum iudicatæ pecuniæ ſatisdare non poßet, in carcerem à Conſulibus duci iußum eſſe.*

Val. Max l. 4. c. 1.

Mulctati viri primarij.

Quanquam alij probabilius æſtiment publici judicij damnationem illam fuiſſe: nam cùm *L. Cornelius Scipio Aſiaticus triumphans, hoſtium duces in carcerem coniectaverit, alienum videtur eſſe à dignitate Reipub. in eum locum Imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo coniecti ſunt duces hoſtium.*

A. Gel. l. 7 c. 19.

Hodie in quibuſdam Rebuſpub. coniiciuntur in carcerem Debitores, donec perſolverint, certamque ſedem ibi ſatius deſignandam eſſe putant, quam incerta ſede divagantes Fallaciis ſuis, bonos miſere & doloſe circumveniant.

Hodie in uſu:

Et quis hodie in contractibus non falleret, ſi non tanto rigore malitioſi & perfidi Debitores coercerentur?

Nabum Dom. 22. p. Trin.

CAP. XLVI.

Quæstio mota : an à Christianis Carceris pœna possit usurpari? *Eiusdem solutio duplex : deque primo solutionis membro hic actum, scilicet quoad Debitores qui fortunæ vitio fiunt non solvendo.*

Quoniam Carceri nō includendi

QVæritur, *cum præsertim carcer, nexus, cæteraque legalium tormenta pœnarum perniciosis potius civibus, propter quos etiam constituta sunt, debeantur:* *Boet. l. 4. pr. 5.*

Num carceris supplicio Christiani sunt premendi? Solvitur hic nodus, distinctione personarum: eæ enim vel. 1. fortunæ vitio. 2. Vel proprio vitio & culpa sunt decoquentes sua, fiuntque non solvendo. Si vero, *carceris pœna propter civile debitum in eum exerceatur, qui nulla sui culpa, sed fortuna sic volente non solvendo efficitur, satis hoc crudele est, & nescio an homine, ne dicam Christiano dignum.* *Mynsin. in l. Inst.*

Qui fortunæ vitio, bonis denudati.

IVSTINIANVS statuit ne Debitores, qui non sua nequitia sed fortunæ vitio ἐκ τοῦ συμβεβηκότος, καὶ οὐ ῥᾳθυμίᾳ *facti erunt non solvendo, bonis cedere cogantur: sed posteaquam iurarint se non habere in bonis unde æs alienum solvant, & bonā copiam eiurarint, ab omni creditorū molestia liberi ac soluti sint:* *Holom. in Illu. quæst.*

LEGEM

Mynsin. in inst. l. 4. de act. 1. 6 §. cum co. LEGEM PETILIAM, (quæ carceris periculo liberat) Imperatores Christiani amplexi, *concesserunt Debitoribus cessionis beneficium, ut carceris situm & squalorem effugerent.*

Ioh. Harp. in com. ad tit. de act. *Hodie honestæ fœminæ pro debito fiscali, quamvis bonis non cedant, includi carceribus non possunt.*

Nec caret hæc res suis rationibus. prior esto, 1. Ratio una. quia Creditor nihil amplius hoc pacto consequeretur, Mynsi. ib. *quàm ut debitorem aliàs miserabilem, amplius adfligere pergat: taceo quod liberi hominis corpus & corium non possit esse in obligatione, nec in commercio.*

Alex. ab Alex. l. 3. c. 5. Altera ratio hæc esto: 2. Ratio altera. quod *carcer sit Lethes & domicilium cineribus refertum, ad quod nisi moriturus accedat nemo,*

Idem ibid. Est & carcer barathrum, *noxiorum custodia.*

CONSTANTINVS iubet Debitores omnem carceris & verberum timorem deponere, Leg. 2. C. de exact. trib. *quæ à perversis & iratis iudicibus instituta sunt, quoniam carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est, non autem est debitorum caussa repertus.*

Quo respectu, hoc supplicii genus tanquam 3. Iudicium viri Sancti. nimis acerbum & inhumanum reiecit ac increpavit. Amb. lib. de Nabuth cap. 5. D. Ambrosius: *Vidi ego* (inquit) *pauperem duci, dum cogeretur solvere quod non habebat: trahi ad carcerem, quia vinum deesset ad mensam potentis.*

tentis: deducere in auctionē filios suos, ut ad tempus pœnam differre possit, inventum fortè aliquem, qui in illâ necessitate subveniret. Redit ad hospitium cum suis, ingemiscens filiorum famem, dolens quod eos non potiùs ei qui possit pascere, vendidisset; redit ad consilium, vendendi sumit arbitrium.

Item: *Grandis culpa est, si te sciente fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, & non adiuves: si sit incarcere, & pœnis & supplicijs propter debitum iustus execrucietur.* *Amb. l. 1. offic.*

CAP. XLVII.

Alterum solutionis membrum, agens de Creditoribus incarcerandis, qui proprio vitio fiunt non solvendo.

Incarcerandi defraudatores.

NOn tamen per ea quæ hactenus dicta sunt, *Magistratui facultas adimitur, quin in carcerem illos possit coniicere, qui astu nonnullos circumveniunt, ut sibi pecunias credant, quibus posteà insultant, cum se demonstrant non esse solvendo.* *P. Mart. class. 4. c. 19. loc. comm.*

Hos neque lex Iulia eximit.

Constatque LEGIS IVLIÆ beneficium (quæ Debitores, qui non solvendo sunt, si bonis suis cesserint, carceris & verberum periculo liberat) *ad fraudatores & decoctores, id est, eos qui nequitiâ sua bona perdiderunt non pertinuisse, verum* *l. 1. c. de bon. ced. poss. & Nou. 135*

rum ad eos solos qui vi maiore aliquâ, velut incendio, naufragio, vel hostium incursu, fortunis eversi fuerant.

Tantum abest quod CARCERIS POENA in istos exercita possit reprehendi, quin etiam utilissima & perquam necessaria judicari debeat, *cùm autem Reipub. intersit, quod supplicio scelus mulctetur,*

Mynsin. l. 4. de act. tit. 6. ad Instit.

Non minus interesse puto, quàm quod fiant pœnæ participes Falliti Debitores, carcerique mancipentur, *quorum aliqui per contumaciam bona sua indicare recusant, ac dolo faciunt quo minus solvendo sunt: aliqui verò nil nisi ventres sunt, quique & aleam ludere, & largis poculis pecuniam etiam abundè conflatum diu noctuque prodigere pergunt, relictis domi uxore & liberis propè mediâ morituris.*

Id. ibid.

Æquum & istud esse putarunt viri iuris prudentiâ clarissimi. Ipse Bartolus ait, *non valere contractum quo quis astriugat se carceri, si certo tempore debitum non persolvat, abdicando se beneficio cessionis bonorum.*

Neque Iurisdoctores istos liberant.

Cir. l. alia in ff. de matr. sol.

Verùm non propterea omnino vult, ut carcerem pessimi Debitores evadant: nam duo hi casus ab eo excipiuntur.

Prior est: *si is qui æs alienum persolvere non potest,*

Q

test, anteà in fraudem creditorum distraxit omnia sua bona.

In ff. et. quæ in fraud. cred leg. ult. in ff. de iure dot. leg. pen.

Casus alter est: *si debitor, quando æs alienum contraxit, sciebat se non esse solvendo.*

His namque cessio bonorum beneficij loco esse non potest, ad carcerem evadendum, *quoniam Debitor tempore initi contractus, sciens se non esse solvendo, ad bonorum cessionem non admittitur.*

Inst. l. 4. de act. tit. 6. §. cũ ex.

Constat igitur debiti publici caussa, quosdam Debitores posse carceribus includi.

Cap. XLVIII.

Inter hodiernas leges municipales sive civiles, usurpari quoque

ARRESTVM.

Arrestum duplex est.

ARrestum: Gallica vox est, atque idem quod *detentio* notat. quod si Prætoris auctoritas intercedat, *sequestratio* dicitur. Estque ea vel

1. Rei, quæ à Cicerone dicta: *pignoratio rerum.*

2. Vel personæ in certo loco, & à Cicerone nuncupata: *manus iniectio.*

1. Personarũ

Hac quondam detentus fuit CAIVS IVLIVS

Cæsar

Cæsar, qui Prætor in Hispaniam tendens, ob æs alienum excedere Probibitus Romæ à creditoribus, M. Crassum fideiussorem dare coactus est. Plut. in Cæs.

Et qui post imperavit A. VITELLIVS à Galba *in Belgium missus, Creditorum præstolantium & detinentium turbâ impeditus, terrore vix eos à se amovit.* Sueton.

In usu est hodie ARRESTVM & rerum, & personarum.

1. *Nam hodie apud nonnullos non ducuntur in carcerem, etiamsi bonis non recesserunt, modò prædia habeant unde satisfieri Creditoribus possit, eaque per arrestum oppignorantur sive Creditoribus annectuntur, donec ipsi solverint.* Iac. Cuia. tom. 3.

2. Personarum Arrestum est, *quo sistuntur obærati eo loco, ubi deprehensi fuerint, atque inde probibentur discedere, priusquam res componant cùm Creditoribus.* P. Mart. class. 4. c. 19. in loc. com. 2. Rerum.

CAP. XLIX.

ARRESTI IVS

Æquabiliter tam potentes quam humiles spectare debere: ubi de προσωποληψία vitanda Iudici.

Q 2 Optime

Iustitia adversus omnes conservari non potest, ubi delectus est personarũ.

OPtime veteres usi sunt *Sequestratione* sive *Arresto*, tàm adversus prępotentes, quàm adverrsus eos qui minoris fuêre nominis & notæ.

Omnis autem & animadversio & castigatio contumeliâ vacare debet, *Cic. l. 1. offic.*

Id ut fiat, *ubi æqualitas delicti, ibi æqualitas pænæ esse debet.* *Tull. l. 2. offic.*

Absit ergo ut existimes gradus eminentiam imminuere delicti atrocitatem, nedum afferre peccandi auctoritatem, sed contra potius eò maiorem in modum augetur peccati gravitas, quo celsior habetur personæ dignitas. *Iac. I. R. mag. Brit. l. 1. Inst. Reg.*

1. *Id quod improbum est.*

Sin peccati gravitas maior in magnis, quin & hi tam iuste puniantur quàm illi. Improbum, si quando

Ille crucem pretium sceleris ferat, hic diadema. *Iuven. Sat. 13.*

Aut, *ijsdem de causis alij plectantur, alij ne appellentur quidem.* *Cic. l. 1. offic.*

2. *Ridiculum*

2. Cum Anacharse recte dixeris, horum Iudicum νόμους ὁμοίους τοῖς ἀραχνίοις: *leges araneorum telis similes,* *Plutar. in vita Solon.*

Quæ infirmiora animalia retinent, valentiora transmittunt: *Val. Max.*

Ita enim his pauperes & humiles constringi videmus, divites & præpotentes non alligari,

gari,

Sen. Epist. 87. gari, *sacrilegia minuta puniuntur, at magna in triumphis feruntur.*

A. Gel. l. 11. c. 18. *Fures privatorum furtorum in nervo atque compedibus ætatem agunt; fures autem publici in auro, atque in purpurâ.*

3. Et quantum inde ignominiæ crimen administratori Reipub. obiectatum sæpè? Turpe est audire, 3. Ignominiosum.

Iuv. Sat. *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Nec minus turpe illud Phormionis,

Terent. in Phorm. --- *non rete accipitri tenditur, neque milvio,*
Qui malefaciunt nobis, illis qui nihil faciunt, tenditur.
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.
Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest.

4. Adde quod maximè impium sit in iudicio personas respicere: verbum enim IEHOVÆ est: *ne suscipite personam in ullo iudicio, æquè parum atque magnum auditote; ne metuitote à quoquam, nam iudicium ipsum Dei est.* 4. Impium. Deut. c. 1 17.

Reg. iur. 13. in Iure Can. Idcirco, *in iudiciis non est acceptio personarum habenda.*

5. Magnam laudem collegium Tribunorum tulit, *quod cum unus ex eo L. Cotta fiducia sacrosanctæ* Exemplum rectè administratæ Iustitiæ. Val. Max l. 6. c. 5.

 pote-

potestatis, Creditoribus suis satisfacere nollet, decrevit, ut si neque solveret pecuniam, neque daret cum quo sponsio fieret, appellantibus se Creditoribus auxilio futurum: iniquum ratum maiestatem publicam privatæ perfidiæ obtentui esse. itaque Cottam in tribunatu, quasi in aliquo sacrario latentem, tribunitia inde Iustitia extraxit.

Magnum sic quoque laudem feret omnis Magistratus si legum vim stringat ex æquo, tam contra summos, quàm infimos: quemadmodum enim *in adversâ valetudine nihil servi à liberis differunt, & a Medicis æquè tractantur:* *Plin. l. 8. Ep. ult.*

Quod imitatione dignum.

Ita in communi & æquali delicto, non magis hi quàm illi eximendi sunt pœnæ; potiùs ex æquo puniendi: laudatique esse iuris puta, si

--- adsit
Regula peccatis quæ pœnas irrogat æquas. *Hora. Sat. 3. lib. 1.*

CAP. L.

DEDECORIS NOTA.

qualis est hæc:

Zonam, Crumenam, Clavesque coram tabellione solemniter feretro, sepulchroque mortuorum Debitorum superponere.

Vulga-

Claves feretro superponere.

VVlgaris inter FLANDROS nostros est loquutio, quæ in proverbium (de eo, qui notâ turpis decoctionis insignis) abiit: SEPVLCHRO CLAVES SVPERPOSVIT. id est: *hy heeft de sleutelen op de put ghelejdt.*

Adagium inter Flãdros.

Quæ actio cùm solemnis foret, nec tantùm mortuo Debitori in pœnam suæ negligentiæ perfidiæque, verùm quoque posteris suis, in cessionis signum cedebat: lubet idcirco istam Zonæ, crumenæ, claviumque feretro impositionem, duobus exemplis è rebus FLANDRIÆ memorabilibus petetis, illustrare.

Exemplum in historiâ Philippi Valesii, Comitis Flandriæ.

I. Fuit inter Comites Flandriæ PHILIPPVS VALESIVS, *cui Audacis, sive Animosi cognomentum.*

Iac. Marchant. l. 2.

Huic in coniugem, filia Ludovici Maleani Comitis tradita est MARGARITA: *quæ post iusta Patri honorificentissimè facta, cum marito suo Philippo Valesio, cognomento Audace, Duce Burgundiæ, Principatui Flandrico inaugurata est in opido Brugensi anno octogesimo quarto supra millesimum, trecentesimum Mense Aprili, die* XXVI.

Meyer. in Annal. Flan. l. 14

E vita discessit anno MCCCCIV, *in itinere Galliam versus, in quâ fere assiduus erat, ob nepotis Caroli sexti Regis curatelam, in oppido Hallæ, non procul Bruxella, publicoque diversorio imagine Cerui insignito:*

Iac. Marchant. l. 2.

Mors eius an. 1404. Pascha xxx Martij.

sepultus

sepultus Divione apud Carthusios, quos ibi collocaverat: tombâ demum ahenea sumptuosa, per Philippum Bonum nepotem, exornatus: corde ad Dionysij Regum conditoryis adiuncto: intestinis ad Virginis matris Hallensis tumulatis.

Ante tamen corpus aromatibus conditum, delatum est ex Hallis Duacum, & inde Atrebatum: ubi tres filij iusta patri magnificè fecerunt. Meyer. In An. Flan. l. 14.

Vidua eius Margarita Flandriæ Princeps, mariti feretro claves superponit

Hic ingeniosus tributorum fuit exactor. Tanta tamen æris alieni magnitudine (licet amplissimum regnum administrasset sui nepotis) ut Margarita, per quam solam ferè ad Reginam aditus erat, quum marito iusta Atrebati persolveret, ne viri debitis obnoxia esset, omnibus mariti mobilibus bonis renunciaverit: neque erubuit in cessionis signum ZONAM, CRUMENAM, CLAVESQUE, CORAM TABELLIONE, SOLEMNITER FERETRO EIUS SUPERPONERE. Marchan. l. 2.

Ecce, *præclaram opum mortalium* [scilicet] *beatitudinem.* Boet. l. 2. p. 2. p. 5.

Caduca hæc & fragilia puerilibusque consentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Val. l. 6. c. ult.

Titulo hoc in Diplomatis Comes usus: *Philippus, Filius Regis, Franciæ, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ.* Marchan. l. 2.

Post funera, ne in bonis tantum habuit, unde Debitoribus, satisfieret: *externa igitur* Lipsius.

illa

illa omnia quæ instant, & Euripo mutabiliora.

II.

2. Deinde hoc ipsum factum Margaritæ Maleanæ Flandriæ Principis, *post undecim annos*, BONA *Henrici Principis Bari filia, & VValerami Sanpaulini Comitis vidua imitata est:*

Exemplum prius sequuta BONA VValerami uxor.

Marchant l. 2.

Meyer. l. 15.

Nam anno MCCCCXV. *pascha* XXXI *Martij pridie Idus Aprilis apud Hyvodium* (Yvois) *in Comitatu Chimarensi, quando migrasset ex hac vita VValeramus Lutzenburgius, Comes Fani Pauli & Ligniacensis, conditus est ibidem.*

Idem, l. 15

Vidua eius (BONA *nomen*) *filia Henrici Comitis Ambaci eadem soror Eduardi Barensis, profecta Ligniacum in Ambacis, justa viro celebriter fecit, retentaque sibi dote profectitia, bonis & alieno æri defuncti mariti renunciavit*, ZONA ET LOCVLIS CORAM TABELLIONIBVS POSITIS SVPER FVNVS.

Ratio facti:

Marchant l. 2.

Hoc ab eâ factum, ne mariti sui debitis obnoxia esset: *sistitur enim hoc facto usurarum, sortisque cursus, donec Creditores (quibus nullum nisi in mobilia bona jus) de commodis, certisque solutionis terminis transigant, cum Debitoribus animi justi, atque generosi.*

Quam res humanæ ex ancipiti mutatione temporum pendent! vel hoc Comitis VVale-

rami exemplum docet, *breves & mutabiles* Curt. l. 4.
Res hominum fluxæ & pervanidæ. *vices rerum esse, & fortunam nunquam simpliciter indulgere.*

Prudenter propterea ille: *caduca semper & mobilia hæc esse duxi, non virtutis atque ingenij, sed fortunæ & temporum munera;* Cic. pro domo.

Quæ,

Velut arentes inter stipulas
Flammæ evanida lux fugitiva
Celeri velox avolat aura, Buchan. Iepht.

Avolant:

Et nihil in rebus humanis tā stabile quod temporis
Momento non frequenter corruat. Schon. in Nehem.

Eamus nunc Homunculi, rebusque momentaneis Id, ibid.
Et quavis bulla umbrave fugacioribus,
Fidamus, hisque nostram metiamur beatitudinem.

CAP. LI.

Quanta dedecoris nota, in clavium, feretro sepulchrove mortui Debitoris superpositione, sita.

In claviū superpositione quantū dedecus

IN CLAVIUM *Feretro impositione* efficax, crede, evertandæ famæ instrumentum est: quemadmodum Medici vulnus vitæ periculosum æstimant, quod homini circa locum τῶν κλειδῶν (i.e. clavium qui est supra costas & iugulum,

Quid Medici in corpore humano κλεῖς appellant.

gulum, quo caput & collum pectori cohæret) infligitur; ita bonæ famę (quæ tam chara nobis ac vita esse debet) necem affert τῶν κλειδῶν: *clavium scilicet ferrearum supra funus positio.*

Quam superpositionem clavium, licet non legerim apud alios terræ populos in usu esse: non tamen minus duro atque indecoro statuto, cessionis remedium, subiectum apud eos comperimus.

Consuetudo apud Italos.

Bald. cons. 301. vol. 5

Scribit Baldus in nonnullis locis Italiæ consuetudinem fuisse, *quod debitor publicè lapidi insideret vel vaderet, & posteriora ter ad lapidem vel columnam percuteret, clamando,* CEDO BONIS.

Apud Hollandos.

Qui ritus hodieque observatur in quibusdam Hollandiæ oppidis. Sane Lugduni Batavorum in eum finem lapidem, aut è lapidibus suggestum Curiæ in frontispicio additum memini, eique deditores cessionis candidatos imponi solere, indubitatum est.

Modus cedendi bonis apud Florētinos

Brut. l. 1. Hist. Flor.

FLORENTINI olim Decoctores turpi iudicio convictos eosque qui reipub. debitam pecuniam ex Magistratus pręscripto ad diem non solvissent, *inter ærarios referebant, sic ut jus ferendi suffragij, civitatisque amitterent. Is autem, cui ea mulcta erat irrogata, adigi ad* SPECVLVM *diceba-*

tur, quod in ea nota, tanquam in SPECVLO *&
censum & fortunas civium licebat intueri.*

Apud Scotos. Inter Statuta VVILHELMI Regis SCOTIÆ, de cessione bonorum tale reperitur statutum: *Bairman, qui debet fieri, iurabit in Curiâ quòd nihil habet in bonis ultra quinque solidos & quatuor devarios, & quod de toto lucro suo, ab illo die inantea non retinebit nisi duos denarios ad victum & vestitum suum: & quemlibet tertium devarium dabit ad debita solvenda. 2. Et iurabit facere omnibus, quòd ius dictaverit. 3. Et inveniet plegios ad standum legi, si poterit invenire. 4. Et si postea ceciderit, in eodem statu, debet à patria exulare.* *Reg. Maiest. Scotiæ conscr. à Ioh. Scut.*

CAP. LII.

FLANDRIÆ *Principes duos (quorum in prioribus mentio facta) censurâ acri dignißimos esse.*

Dedecorat bene nata culpa. VT revertamur ad Flandriæ Principes duos, de quibus dicere incepimus: minimè profectò istam vitæ rationem in iis probandam esse censeo; quâ tum gloriæ propriæ, tum honori posterorum labem turpissimam aspersêre. *Abrogatur autem illustris tituli honor per indignorum actuum vilitatem.* *Salv. Massil. l. 3. de guber. Dei*

Quis

Quis actus indignior, quàm bona sua dilapidare, & suos adigere, ad beneficium Cessionis bonorum? Hoc faciunt isti Principes, factisque suis, non tantùm proprijs

Sen. in Herc. Oet. *--- laudibus maculam imprimunt,*

Cicero l. 1 offic. *Evertuntque fundamentum propriæ commendationis & famæ, sine qua nihil esse potest laudabile.*

Verùm etiam, maculam indecoram impressêre

Multũ parentum opprobria labis inferũt Flori iuventæ.

Hor. l. 1. Sat. 1. *--- natis, charisque propinquis:*

Iac. I. R. mag. Brit. l. 1. ad fil. Eorumque, *infamia comitatur* [filios] *per omnem posteritatem duratura,*

Cic. pro Sylla. Totique domui *æternam memoriam dedecoris relinquit.*

Quid paterno officio magis contrarium? Cic. ad Quirit. post red. *nibil dulcius hominum generi à natura datum est, quàm sui liberi:*

Ideoque nihil magis in votis deberet esse, Idem pro domo. quàm *liberis suis amplum patrimonium paterni nominis ac memoriæ* [præclaræ] *relinquere.*

Quod cavendum: quia dos est magna Parentium virtus.

Idẽ ad Q. frat. In qua re, *qui negligentior fuerit, non solum sibi parum consuluisse, sed & suis etiam invidisse videtur.*

Cicero l. 1 offic. *Maiorum gloria, posteris lumen est,*

Atque, *optima hæreditas à Patribus traditur Liberis, omnique patrimonio præstantior Gloria Virtutis,*

tis, rerumque gestarum, cui dedecori esse, nefas & vitium judicandum est,

Hoc precavere, istud verò quàm studiosè consectari studuit, Grecorum laudatus Sapiens:

--- canit profundo Hort. l.4. od.2.
Pindarus ore.

Εἴη μή ποτέ μοι τοι ---- Pind. od. 8 Nimior.
οὗτον ἦθος, Ζεῦ πάτερ ἀλλὰ κελεύθοις
ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν, θανὼν ὡς
παισὶ κλέος μὴ τὸ δύσφαμον προσάψω.

Eiusmodi mihi nunquam contingant mores,
O Iupiter pater: verùm semitis simplicibus vitæ
Ingrediar, mortuus ne Liberis meis gloriam infamem relinquam.

Nihilque præstātius laudabilinsque bona famâ:

Rectè: nam *thesauri famæ meliores thesauris divitum.* Eccle. 41. 15. Prov. 18.

Vnde prudenter (quisquis est) monuit

Καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε Comicus Græc.
Famam lubenter opibus anteponito

Quocirca, mi Christiane, in quocunque statu te positum esse vides, cave diligenter omne dedecus: tuasque res ita gere, ne dicaris

Hanc tu servare memento.

--- tuorum gloriam indecentibus Baud. l. 1. Sap. civil.
Fœdare factis.

Est hominis ingenui, & liberaliter educati, consectari

ctari gloriam iustam, quæ est fructus veræ virtutis honestissimus,

Curt. l. 4. *Ite igitur, alacres & virtutis pleni, ut quam gloriam accepistis à Maioribus, posteris relinquatis.*

CAP. LIII.

Decoctionibus magnas controversias excitari, materiamque litium provenire inde uberrimam.

AVdivimus miram & antiquam *in Cessione bonorum* consuetudinem, in qua præter ignominiam (quam superstiti parit paratque mortui Debitoris culpa) accedit *fori calumnia, qualis est lis.* *In decoctionibus litiũ seges & materia uberrima.* Cypr. Epist. de Aloat.

Malum profectò cognatum, & agnatum Decoctorum seu Fallitorum facto, actionique. quot enim litigia, quot rixę, quot forenses pugnę subinde inter concives urbis, hęredes inter & creditores demortui commoventur! CHERCITAS *apud Plutarchum in convivio Platonis refert, ad fabulam Homericam de* ATE, *quæ, quod adfuerat Iovis sponsioni, ab eo præcipitata est in terram.* Erasm. in Adag.

At quàm multi (proh dolor!) viri boni & honesti, vel quòd interfuerint & pręfuerint sponsionum actibus, vel quod se hęredes bonorum demortui Decoctoris imprudenter sisterent, *Id quod experiũtur Decoctorũ posteri.*

ſterent, in barathrum miſeriarum coniecti fuerunt, èque ſtatu tranquillo præcipites dati ſunt in abyſſum triſtiſſimum, ubi nexibus malarum litium implicantur, ac ubi

Δίκη δίκην ἔτικτε, ἡ βλάβη βλάβην, — Lip. l. 1. Epiſt. 74.
Litem parit lis, noxa item noxam ſerit.

Multi (ô rem deplerandam!) propriis officijs & beneficijs, *mercantur forenſia bella.* — Auguſtin.

Aliorum,

Sicque malæ rapiunt ſcelerata in prælia cauſſæ. — Ovid.

Idcirco beati innocua quibus eſt & träquilla quies.

Prælia, quæ animos varijs incommodis, curis diverſis diſtrahunt, imò dilacerant. Lis autem, *inſtar Viperarum, quæ ventrem (imò cor) inteſtinis morſibus pertodendo naſcuntur.* — Baſil. ſup. Pſal. 4.

Beatus, cuius in corde, *tandem Vipræ iſtæ ſibilare deſiſtunt!* — Apud Flor. l. 4. c. ult.

Et læta ſuo parvoque domus, ſpes & in agris

Nec non

Beatus ille, qui procul negotijs — Horat. in Epod.
(Vt priſca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Forumque vitat & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Hic,

--- non ſollicitus ſibi, quòd cras — Idem l. Serm. 1. Sat. 6.
Surgendum ſit mane: obeundus Marſya, qui ſe
Vultum ferre negat Noviorum poſſe minoris.

Verùm

Verùm.

Hunc dulcis saturat quies,
Obscuro positus loco,
Leni fungitur otio.

Sen. in Thy.

CAP. LIV.

Maritorum dilapidationibus post obitum Coniugibus plerumque summum dedecus parari. Vtpotè viduarum ANTE FERETRVM EXITVS, *in exequijs Maritorum.*

PRæter uberrimam litium messem, quam superstitibus, hæreditatis loco, à Decoctoribus relinqui suprà demonstravimus, oritur prætereà sæpè in illustribus personis infamiæ dedecorisque summi nota: cuius rei cùm suprà aliquot exempla ex Annalibus Flandricis recitaverimus, hîc unum memorabile inprimis adscribemus, quod silentio minimè prætereundum erat. De quo nos antiqua Tabularia & membranacij Codices opportunè admonuerunt. *Ante feretrũ exitus.*

Illustris Domina & Princeps N. N. Vxor illustrissimi Ducis N. N. anno M CCCCIV ad cessionem bonorum Mariti, largitione (an prodigalitate?) miserè redacta est, non eodem quo Belgicæ Principes (quarum suprà memi- *Probatur illustri exemplo.*

S nimus)

nimus) ſed non admodum diverſo, minuſque ignominioſo exemplo: Vtique *quæ bonis, ne vel filo auctior, ceſſerit: unaque de more & legiſlatoris decreto, in publicis exequijs, ſequeſtrato omni pudore, nobiliſſimique ſanguinis excellentiâ & dignitate, ſola in publicum prodierit ante Mariti funus & feretrum: non illâ ſolitâ ac dignâ tanto ſtemmate ac proſapiâ veſte, ſed mutuato aliunde habitu ſpectanda: nihil ſecum ex omni domeſticâ pompa & Mariti ſplendore ferens, præter* ARIDAM STIPVLAM, *quam publicè manu proijceret, & voce teſtaretur, ſe renunciare Mariti omnibus quà mobilibus, quà immobilibus bonis, quæ moriens mærenti Dominæ reliquiſſet.*

Hoc de more VETERES LEGISLATORES Edictum rogaſſe eiuſmodi, & hoc quidem idiomate conceptum vidimus:

Voor de bare uytgaen, hoe ende in vvat manieren ghedaen moet vverdē

Als die Erſghenamen van den ghenen die oſtivich geworden is, die goeden vyten willen, ſynt des Mans Wyff, off des Wyffs Man, Soo ſyn ſy ſculdich aldus te doene: Men ſal een bare draghen in dat huys daer die dode leyt, en daer ſalmen den dooden baren; en alſmen wtdragen ſal, ſoo ſal dat Wyff in gheleenden cleederen voor die bare wtgaen, ende en behouden niet ſo veel an vanden goeden die haer Man ende ſy tſamen beſaten, als een hemſdraet. Ende als die dode begraven is, ſo ſal ſy mit hairs voichts hant haer vyten rechte voor opt graft, ende quijtſchelden alle die goede, die ſy ende haer Man tſamen hadden: ende alle inſcult ende wtſcult, ende nemens aldair oirtconde an alle

die ghene die daer syn. Ende dat salmen teykenen inder Steden Boeck, die personen die die goede gheuytet hebben, ende die tyt datse die vyten. Ende waert saecke datmen tot eeniger tyt dair nae bewysen mocht, dat die ghene die die goede gheuyt hadden, yet groot off clene daer off ondergehouden hadden, men soude die om scults wille die die dode schuldich gebleven ware, lasten moghen mit Recht ende mit vonnisse.

Ibidem legebantur eadem lingua quæ suprà de illustri Domina narravimus, ad hunc modum:

Vrou N. van N. was N.N. leste Wyff saligher ghedachten, dese vytede die erflicke goeden van .. Landt aldus. Dair was die Baylin ende die Mannen, ende men maeckte daer vierschaer: als die ghemaeckt was, koos die Vrou een voocht ende die gheerde vonnisse, off die Vrou hem so aldaer ghecoren had tot eenen voocht, dat hy haer verantwoorden mocht ende recht voor haer spreken. Tvonnis wysde ya tot dier vierschaer. Daer na vraeghde de Rechter of daer yemant yet lette, der Vrouwen voocht sprack ya, ende seyde dat daer stont N. Vrouwe van N. Landt &c. mit haren ghecoren voochde, ende gheerde aldaer te vyten na den Rechte van N. Landt, alsulcke erflycke goede als N. N. saligher ghedachten ghelaten hadt in synen lesten live, sonder daer sy an verlystocht wair, alsoo nauwe als sy wist, hoe sy dat doen soude met Rechte. Die Rechter vermaende des Vonnisse, Tvonnis wysde dat sy aldair staende soude in gheleenden cleederen die haer niet en bestonden, ende bloot van alre haven die van N. N. ghecomen waren, ende gaen voir de bare uyt, ende sy soude hebben een helm in die hant ende soude dat wech werpen, ende vyten ende vertyen hair aldair mit hairs ghecoren Een Exempel van een Hertoginne.

 voochts

voochts hant alle goeden dieN.N.in synen lesten live liet, sonder daer sy an verlijstocht waer;ende alles in schult ende uytschult. Soo dede die Vrou. Dair t'enden gheerde hair voocht een vonnis, off hy als een voocht vande Vrouwe die goeden ghevyt had als recht was. Tvonnis wijsde ya: want dat lichaem vanden Edelen Hertoogh was ghebaert ende ghebrocht voor der doren van der salen, ende sy trat voor uyter salen ende erde so voirseyt is.

Hærediolum sanè præclarum, ac Principibus tantis dignum! Eò redigere coniugem, ut depositâ preciosa multiciâ, veste mutuatitia, non Maritorum funus sequantur, sed [ô dedecus!] antecedendo, omnibus Spectatoribus deridendæ propinentur.

CAP. LV.

Largitionibus sumptibusque immodicis, bona Nobilium Principùmque dissipari.

Mortuis non est cōviciandum. SCio CHILONEM vetuisse de mortuis malè loqui, *quod ignavum videretur eos incessere lingua, quia respondere non possint.* *Laert.*

Ideoque *Philostratus* Ælianum scite coercuit, qui accusationem cuiusdam mortui scripserat, inquiens: *mortuo insultare, cuiusvis esse; viventi verò, viri esse duco.* *Philost.*

Cum Eudoxiæ Heraclij Imperatoris funus efferre-

In Adag. efferretur, Epiphaniam filiam, quod *spuisset in cadaver, vivam rogo impositam & exustam fuisse legimus:*

In manes Illustrium personarum convicium jacere, longe à mente nostra absit; Verumtamen cùm ferè magnifici Princepes largitionum sumptuumque immodici, uxores viduas ad extremam dedecoris notam bonorumque cessionem redigerint, materia mihi nascitur inde, ad ipsum fontem πενίας demonstrandum: Qui enim imprudens bonorum suorum est dispensator, illi postremò nihil reliquum erit, *prater duas illas divas* πενίαν καὶ ἀπορίαν: *paupertatem & Impotentiam,* (Plut. Themist.)

Magnificus apparatus conviviorum & sumptuosa largitio, nonne ab opulentiâ, paritura mox egestatem? (Flor. l. 3. c. 3.) (Huius largitio, & apparatus caussa inopiæ exstitit)

Claud. 1. Ruff.
Est luxus populator opum, cui semper adhærens
Infælix humili gressu comitatur Egestas.

Et

Martial. l. 10. c. 96
Pretiosa fames, conturbatorque macellus.
Ἱστορίας ἀρχαίας ἐξέρχεσθαι μὴ κατόκνει.
Per historias veteres ire ne recusa:

Basil. c. 50

Etenim: *exhausti conviviorum apparatibus Principes civitatum.* (Taci. l. 2. Hist.)

BACCHIADARVM *Regnum apud Corinthios, quum ad summum potentiæ gradum pervenisset, tamen per immoderatam luxuriam dissolutum est.* Ælianus l.1.c.19.

Luxuria victrix orbis.

Ita quoque constat, Convivijs indulsisse LVCIVM VERVM *usque ad profluvium amentis impensæ, flebilemque Imperij iacturam.* Petrach. dial.19.

Immensas opes iam= pridē avaris manibus, ut perdat rapit.

Nudis pedibus super immensos auri argentique acervos spatiari CVLIGVLA *solebat, ad eodem tandem nimio luxu devenit, ut cum non haberet unde filiam dotaret, Calendis Ianuarijs strenam à civibus colligere, necesse habuerit.* Melchior Iunior in Orat.

Magnam gloriam adepti BOETII *post res Leutricas, in convivia conversi ad ebrietates bonam partem rerum suarum in convivia absumpsere, sic ut multi essent quibus plures essent cænæ, quàm dies in mense. quam consuetudinem ægrè ferentes Megarenses, ad Achivos defecerunt.* Polyb.l. 20.Hist.

ALPHONSVS Neapolitanorum Rex, *licet plurimis populis & Regionibus imperaret; tamen pace ocioque permulto dum frueretur, omnis generis rerum profusionibus eo processit, ut conflato ingenti ære alieno, cùm satisfacere Creditoribus nequiret, tandem decoxerit.* Gre. Richter. in Axiom. Oecom.

Eximiusq; apparatus, fœdissimū patrimoniorū exitium

Quid mirum si & hodie multi ex eadem caussa in istam veraginem & gurgitem vitiorum ruant, apud quos *mala æmulandi amor vali-* Tac.l.3. Ann.

validior, quàm pœna ex legibus & metus?

Lucan. l. 3 *--- O prodiga rerum*

Luxuries, nunquam paruo contenta paratu!

Te multi,

Virgil. l. 2. ÆEneid *--- immemores cæcique furore.*

Gaudent, tanquam *Summum bonum* intra muros cordium deducere,

Et monstrum infœlix sacratâ sistere mensâ;

Nos potius, cum FABRICO DVCE ILLO celebri, illud summum (quod alii in Voluptate & dissipatione bonorum collocant) bonum, istamque *noxiam felicitatem, inimicis optemus;* Exulet igitur omnis voluptuarius triumphus.

Berus in Dom. de Epulone.

Siquidem VOLVPTAS, hostis

Virg. l. ÆEneid. *--- ille dolis instructus, & arte Pelasgâ,*

Nil nisi malorum Ilium ingens apportat, *militatque adversus animam.*

1. Pet. 2. vers. 11.

CAP. LVI.

Finis impositus huic Libro: additâ ad MAGISTRATVM POLITICVM *monitione.*

VEla contraham, & ut nautæ

Plaut. Menæch. *--- quando ex alto procul*

Terram conspiciunt,

Reipub. Gubernatores curent Reipub. bonum.

Dimittunt bolidem, καὶ βολίσυνας gubernatorem

torem navis movent, ut vada & aspera loca vitet, *ne cum iniuria, multoque damno non solùm oneris & navis, sed etiam capitum futura sit navigatio.* Actor. 27. 28. & v. 10.

Sic mihi *Reipub. gubernatores* admonendi, antequam finem faciam, ut quàm diligentissime prospiciant, declinentque ista omnia, unde pericula magna suis promineant: *nihil præstabilius, quam periculis* [Rempub.] *liberare, beatique sunt hi, quibus ea res honori fuerit.* Cic. pro Milone.

Miserãda temporuu nostrorum conditio. Sed (eheu!) quanta pericula hodie Rebuspub. imminent, quantaque damna civitatibus adveniunt ab ista Fallitorum sive Decoctorum cohorte, quæ fallendo ac decipiendo, quod facillimum factu est, indies bonos & honestos cives excruciant! *Hanc temporum labem singuli in sermonibus palàm aversantur,* Bau. cent. 1. Ep. 2.

Vtinam sic tollere conarentur ij, *qui in excelso ætatem agunt.* Ibid.

Audiuntur frequenter

--- *tristes querimoniæ:* Hor. l. 3. Carm. od. 24.

At

--- *non supplicio culpa reciditur.* Ibid.

Fusa latè pervagatur vis decoctionis Fallitorum.

--- *malum, quo non aliud velocius ullum* Virg. Æneid. l. 4.

Mobi-

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Dan. Pipar in Epigr. quodam.

--- rem sacrosanctam . . .

Æquitas abacta, & exul fides.

Hominum cupido perfida improbissimis
Fædavit ausis; quum nefandis artibus
Aliena iungens cum suis promiscuè
Et hinc & inde quæque corradens simul
Per fas nefasque, perque consutos dolos
Mercator abigens ius, fidemque ad improbas
Opes citato sive rupturam gradu
Ruit, affluente dum interim nefarie
Homo belluosus proluens se gurgite
Innoxiorum dirus haurit sanguinem,

Nulla pavorū impios Religio tangit.

Salust.

Et quam quisque pessime [decoctionem] *fecit, tam maxime tutus est.*

Quid ita?

Nam nunc leges nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet.

[Decoctio] *iam more sancta est, libera est à legibus.*

Plaut. in Trinum.

Mores leges perduxerunt iam in potestatem suam,
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Aut nulla tangit reverentia legum.

Itaque

Schon. in Susan.

--- quid ego nunc dicam de Iudicibus,
Eos tam negligenter agere? ah! hoccine

T Est

Non spolia opima queis Feretrium solet
Mactare victor, laudibus tantis ferunt
In astra magnum publici status Ducem
Quàm quæ CORONA *cive servato datur.*
Hac nixus arte, hoc Marte clarus Hercules.

FINIS.

